PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXIII / FASC. I-II
15 Maii / 1944

ALMA COLLEGE
LIBRARY
PDRM
Alma, California

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1944

23702

FASCICULI INDEX ANALYTICUS

I - Dissertationes et quaesita varia

pag.

De Mendacio - Secunda pars: De specie mendacii; sectiones II et III, M. LEDRUS, S. I. 5

De offerenda et oblatione in Missa. C. CALLEWAERT 61

II - Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XII

1 - Litterae Encyclicae « Divino afflante Spiritu » 95

Annotationes, A. VACCARI, S. I. . . . 119

6 - Acta summatim relata 150

Suprema S. Congregatio S. Officii

2 - Normae quaedam pro confessariis . . 130

2* - Communicatio 134

S. Congregatio Concilii

3 - Resolutiones 130

Annotationes, PH. AGUIRRE, S. I. . . . 140

S. Congregatio de P. Fide

4 - Declaratio iurisdictionis 146

S. Congregatio Rituum

6 - Acta summatim relata 151

S. Congregatio pro Ecclesia Orientali

7 - Acta summatim relata 150

Commissio Pontificia de Re Biblica

5 - Responsum de versionibus S. Scripturae in linguas vernaculas 146

Provisiones ecclesiarum (9) 151

Nominationes (10) 152

Necrologium (11) 152

Notae bibliographicae 153

Inscriptiones:

C. CALLEWAERT (†), Brugis. — A. VACCARI S. I., Piazza della Pilotta, 35. Pro ceteris, Pontificia Università Gregoriana, Piazza della Pilotta, 4.

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. AGOSTINO GARAGNANI - Univ. Gregor., Roma - Responsabile

Typis Pontificiae Universitatis Gregorianae, 1944

PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXXIII / FASC. I-II
15 Maii / 1944

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1944

v. 33
1944

IMPRIMI POTEST

Romae, 24 apr. 1944

P. EMMANUEL PORTA
Praep. prov. Rom. S. I.

IMPRIMATUR

Romae, 28 apr. 1944

† ALOYSIUS TRAGLIA
Archiep. Caesariens. Vic. Ger.

ROMAE - TVPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

DE MENDACIO

SECUNDA PARS - DE SPECIE MENDACII

SECTIO SECUNDA - DE DECEPTIONE *

De obiecto formali mendacii.

91. Notitia falsa proximo ingerenda (obiectum formale *fallaciae*) materiale tantum constituit ipsius *mendacii* obiectum. Fallacia igitur nonnisi *remotum genus* exhibet

---

* Superius editum, tomo 32:
Prima pars - De gradibus deformitatis actuum.
Sectio I - De intrinsecitate. — II - De inordinatione in genere naturae. — III - De pravitate materiali. — IV - De malitia intrinseca, pp. 5-58.
Secunda pars - De specie mendacii.
Sectio I - De fallacia.
Art. I - De obiecto materiali communi mendacii.
Art. II - De obiecto materiali proprio mendacii (pp. 123-171).

In hoc fasciculo:
Sectio II - De deceptione.
De obiecto formali mendacii.
§ I. De communicatione verbali.
§ II. De frustratione.
§ III. De deceptione.
Sectio III - De perfidia.
§ I. De asseveratione.
§ II. De perfidia mentientis.
§ III. Discriminatio perfidiae.

Superest tractandum:
Tertia pars - De executione mendacii.
Sectio I - De simulatione. — II - De astutia fictionis.

in ratione mendacii; et proinde non est exprimenda, sed ordinate subintelligenda, in recta mendacii specifica definitione.

Porro, definitio mendacii per genus proximum et differentiam specificam respicit sane obiectum eius materiale proprium, notitiam vid. falsam de ipsius *loquentis animo* (n. 86). Non tamen ex solius huius obiecti consideratione efformatur, sed ex consideratione directa *modi* ipsius *quo* falsa haec de loquentis animo notitia in mendacio produci nata est.

Agentes autem de modo quo obiectum proprium mendacii attingitur, minime nunc consideramus *medium* seu instrumentum a mentiente adhibendum, vitium nempe expressionis mendacio necessarium, sed indagamus proprie dictam mendacii formam, essentiam videlicet illius modi fallendi, seposita interim ad tertiam partem consideratione pravitatum ad executionem mendacii pertinentium (n. 49).

92. In hoc fallendi modo formaliter constitutivo mendacii, discriminandum erit illud quod est mendacio affinibusque sibi actibus *commune*, elementum scilicet generícum proximum mendacii, et illud quod est ipsi mendacio essentialiter *proprium*, ideoque specificum.

Ex dictis autem n. 39, a priori patet quod si malitia mendacii revera est intrinseca, actus specificus quidem in ratione mendacii necessario constituetur inordinatione quadam *essentialiter irrationali* et *formaliter voluntaria*. Sed haec duo non requiruntur in ipso actu generico rationis mendacii; qui proinde constitui poterit malitia quadam minus essentiali et non formaliter voluntaria, *licet ad utrumque forsan accedente, i. e. pravitate materiali* (n. 25 ss.). Superest igitur disquirere de *genere* mendacii in sectione de deceptione, et de *specie* mendacii in sectione de perfidia.

A priori etiam patet quod si mendacium est essentialis depravatio locutionis, utraque determinatio, generis

scilicet proximi specieique mendacii, a consideratione correspondentis determinationis in essentia *locutionis* erit desumenda, nempe a consideratione *communicationis* et a consideratione *asseverationis* respective, quibus constituitur locutio; perinde ac factum est circa rationem fallaciae, quae ex consideratione notificationis derivata fuit, i. e. ex genere remoto rationis locutionis.

Ordo igitur huius sectionis de deceptione postulat ut primum agamus de communicatione quae exercetur in loquendo, et de eius obiecto tum materiali tum formali.

§ I. De communicatione verbali.

I. *De communicatione in genere.*

93. Notitia non qualicumque modo per locutionem producitur, sed determinate per modum *communicationis*. Ad differentiam enim demonstrationis, quae producit notitiam per modum ratiocinii, mereque adiuvat auditorem ad notitiam proprio marte elaborandam [231], notitia, in locutione qua tali, directe formaliterque *datur*. Voluntas est illa quae primario loquitur, actuando manifestationem verbalem animi proprii per *intentionem* ordinantem verbum intellectus *ad proximum* in ratione doni. Communicatio actuat veracem sententiam, perinde ac in ordine intellectuali iudicium actuat conceptum. Voluntas est illa quae effective *profitetur* enuntiationem, ipsam ordinando ad proximum; intellectus vero enuntiationem verbaliter exprimit, quam sermo consequenter signis sensibilibus edisserit [232].

Intentio autem loquentis non est imperativa, nec precativa, nec optativa, etc., sicut in ceteris speciebus sermocinationis, sed proprii animi notificativa seu communicativa. Affectus loquentis per se nihil aliud intendit praeter communicationem; et ideo notitia in locutione non da-

---

231 Cfr. S. THOMAM, *De veritate*, q. 11, a. 1.

232 De distinctione verbi intimi et sermonis, cfr. S. AUGUSTINUM, *De Trinitate*, lib. XV, n. 19.

tur modo communi dationis, sicut imperia et similia dantur, sed datur reduplicative, i. e. *donatur*, sicut donum datur[233].

94. Donatio autem non solum est effectus quidam directus operationis voluntatis, sed *effectus* eius *formalis*, i. e. typicum eius productum. Voluntas exprimit in donando bonitatem suam distinctivam. Donatio sane non est *operatio* formalis ipsius voluntatis, sicut amare, optare, odisse, spondere etc.: si donatio esset ipsemet actus formalis voluntatis, i. e. amor, non diceret Apostolus: « Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas..., caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest »[234]. Sed donatio est effectus *omnino proprius* operationis voluntatis. Quod patet si attendatur differentia *actus* voluntarii a *motu* voluntario.

Motus quidem voluntarius est in *appetendo* finem; actus autem voluntarius est ille qui procedit *ex adeptione finis;* perfectio enim entis spiritualis, i. e. quies illa in bono quae formatur in termino appetitus, non est merum desinere motus, sed « quietatio appetitus », quae propriissime vocatur *amor*[235], estque primum principium actuosum, secundum quod « natura cuiuslibet actus (i. e. perfectionis) est ut se communicet quantum possibile est »[236]. Tendentia illa felicis perfecti ad sui communicationem respondet speciei amoris, seu *dilectioni* (ἀγάπη) prout distinguitur ab *affectu* generico voluntatis seu beneplacito (θέλησις).

Dilectio, dum *movet* in finem, multo purius et verius est « propter finem », cui active ordinat, quam appetitus finis, qui movetur; et ideo dilectio formalius voluntaria est prae appetitu. Primum autem agendum ab illo qui movet in finem, est perficere, i. e. similitudinem propriam mobili impertire, ex qua mobile fini proportionatur, ideoque ad eundem inclinatur; communicare vero propriam similitudinem est ipsa ratio *donandi*.

---

[233] Cfr. *Sum. theol.*, Ia, q. 38, a. 2 — Distinctio dationis et donationis supponitur in *Eph.*, 4, 7, ubi « donatio » respondet « dationi gratiae »: « Unicuique autem nostrum data est (ἐδόθη) gratia secundum mensuram donationis (δωρεᾶς) Christi ».

[234] *I Cor.*, 13, 3.

[235] *In 3. Sent.*, d. 27, q. 2, a. 1.

[236] *De potentia*, q. 2, a. 1.

95. Ex hoc igitur quod donatio ad essentiam ipsius pertinet, locutio, utpote effectus formalis bonae voluntatis, habenda est ut actio *materialiter honesta*, i. e. intrinsece ordinata in genere moris, licet ut talis remaneat extrinsece tantum voluntaria. Inde sequitur quod corruptio essentialis huiusmodi donationis, quae locum obtinet in communicatione boni ficti, i. e. in deceptione proximi, habenda est ut materialiter prava (n. 26), utpote immediate connexa et proportionata secundum se ad voluntatem malam, nempe recto amori contrariam.

Sicut autem fallacia mendacii constituitur per notitiam erroneam (n. 52), ita et deceptio mendacii constituitur per communicationem fictitiam. Ille enim qui mentitur enuntiat sententiam *non* propriam *ac si esset sua*, i. e. vera seu animi sui propria (n. 86).

II. *De communicatione veritatis.*

96. Hic autem non extra propositum esse videtur summatim considerare qualis sit communicatio verbalis; facile enim et non sine fructu observatur quod veritas est *praecipuum communicabile.*

Primo quidem constat quod ratio communicationis (κοινωνία perfectius verificatur in locutione quam in donatione *materiali.* Dona enim materialia, dum communicantur, a dante *amittuntur*, saltem secundum quod inter utrumque terminum donationis dividuntur; nequeunt enim totaliter ab utroque possideri. Communitatem ergo possessionis, i. e. pertinentiam *rei* possessae ad plures possessores (μέθεξις) et communionem activam *personarum* in possidendo (μετοχή) nonnisi secundum quid producunt, licet spiritualem communicationem metaphorice repraesentare valeant, sicut convivia, etc.

Dona autem *spiritualia realia*, i. e. in quibus res aliqua spiritualis secundum essentiam tribuitur, non necessario quidem amittuntur aut dividuntur a donatore dum impertiuntur, sed nata sunt *partim* tantum recipi a donatario; non inducunt nisi communicationem *participationis* (μερισμός) et deminutam communitatem instituunt inferioris qua talis ad superiorem. Sic creatura nonnisi participative communicat cum Deo in possessione sui esse, ideoque non dicitur *generari* secundum quod

creatur[237]; similiter, ante veritatem visionis, vitam aeternam non habemus nisi secundum « meritum »[238].

97. E contra donum propriae veritatis nec ullo modo dividit aut amittere facit veritatem a loquente, nec per se partim accipitur ab audiente aut videnti. Essentiale enim est communicatae veritati quod illud quod donatur *ad aequalitatem* formaliter *accipiatur*. Unde locutio per se introducit aequalitatem aliquam inter loquentem et audientem; et si fiat inter Creatorem et creaturam, formaliter supernaturalis est, et inchoatio visionis illius in qua societatem perfectam habebimus cum Deo.

Mensurari sane potest ipsum donum veritatis, tum ex parte liberalitatis, aliusve rationis, in illo qui loquitur, tum ex consideratione dispositionis, in illo qui audit; sicut Dominus ea discipulis suis non dicebat, quae portare nondum valebant (Jo. 16, 12). Sed illud quantumcumque, quod loquendo datur et accipitur, *integre* communicatur, in quantum communicatur, et se toto natum est unire loquentem et audientem secundum possessionem huius determinatae veritatis quam audiens accepit (μέθεξις).

Insuper donum veritatis *active* recipitur, per actum nempe immanentem intellectus; unde communitatem spiritualem personalem (μετοχή) inducit in fruitione eiusdem veritatis. Vita personalis utriusque conversantis circa eandem veritatem exercetur, quae formaliter determinat proprium utriusque animum.

Tandem in locutione datur id quod quis proprissimo sensu *habet*. Locutio tribuit proximo, secundum formalem reproductionem manifestationis, ipsum intimum animum loquentis in propria sua veritate[239]. Verbum autem animi sui unusquisque formalius possidet quam exteriora omnia quae ad ipsum pertinent, immo, quam essentiam, quae physice tantum sibi at-

---

237 Generatio naturalis exerceri potest inter materialia viventia, sed sine possessione communi actuali generatae naturae individualis; in generatione enim materiali (γέννησις) genitum, eo ipso quod generatur, separatur a generante; dum e contra in generatione spirituali (γνῶσις) verbum cognitum possidetur a cognoscente in unitate naturali actus cognoscendi (νόησις).

238 « Meritum » derivatur a ratione partis: μέρος.

239 Inde est quod Deus Seipsum nobis dicendo in locutione supernaturali, vere nos *generare*, fundamentaliter quidem, dicitur, potestatem filios Dei fieri ex recepta veritate nobis concedendo (Jac., 1, 18; I Petr., 1, 23). Haec propria Dei veritas de Deo est fundamentum formalis similitudinis, ex qua *filii* nominamur. Cfr. I Jo. 3, 2. Auditor vivens (per fidem formatam) ex recepta Dei veritate vivit vitâ formaliter propriâ loquentis Dei, i. e. propter Ipsum, nempe sub actuali paternitate divinae auctoritatis. Idem valet proportionaliter de omni locutione.

tinet. Igitur post amoris ipsius spirationem, qui primum donum est et formalis communicatio spiritualis, primum communicabile seu donum effectivum et primum amoris testimonium est ipsa locutio in universum sumpta. Cetera dona sunt praedispositiones ad conversationem amicitiae.

III. *De moralitate generali veracitatis.*

98. Ex hac peculiari appropriatione veritatis ad socialem communicationem struendam inducimur ad considerandam specialem *virtutem veritatis moralis,* illam nempe secundum quam inclinamur ad veritatis intellectualis *communicationem,* et quam solemus hodie *veracitatem* appellare. Determinare igitur debemus respectum sub quo primo veracitas campum moralitatis formaliter ingreditur. Cum autem veracitas variis modis specifice diversis exerceatur (e. g. locutione, visione, scientiâ infusâ), praescindimus ab eo quod *specificum* est veracitatis illius quae *in loquendo* exercetur; item praescindimus a consideratione *fundamentalis* honestatis cui nititur veracitas: de his quidem in posterioribus sectionibus. Agimus simpliciter de formali generali moralitate veracitatis, determinando virtutem ad quam proprie pertinet.

Veritas refertur ad ordinem *intellectualem* secundum quod est *adaequatio* rei et intellectus; haec enim est *condicio* intrinseca cognitionis: id nempe quod se habet ad actum cognitionis, sicut essentia entis se habet ad eius esse. Haec autem ratio adaequationis non est illa ratio veritatis quae formaliter immediateque cadit sub ordine *morali.*

Veritas intrat ordinem moralem primo quidem *materialiter,* i. e. ut obiectum commune voluntatis, in quantum est *cognitio* actualis, ideoque *valorem* praesefert; cognitio namque est condicio formalis perfectionis et beatitudinis: « nihil enim aliud sub nomine beatitudinis intelligitur nisi bonum perfectum intellectualis naturae, cuius est suam sufficientiam cognoscere in bono quod habet »[240]; bonum

[240] *Sum. theol.,* 1ª, q. 26, a. 1.

ergo suum consequitur homo secundum quod cognoscit ex integra veritate supposito cognoscenti proportionata [241].

Secundo, veritas *formaliter* afficit ordinem moralem primario in quantum veritas est *lex spiritus in bene agendo*. Cum enim actio connaturalis spiritus sit diffusio proprii boni, seu exercitium *amoris benevolentiae*, veritas primario est *forma* huius diffusionis, in quantum diffusio est *manifestatio sui;* non enim aliter diffunditur bonum, saltem ultimatim, nisi in manifestatione sui. Veracitas igitur est forma generositatis spiritualis, et proprium veritatis moralis. « Verum non est immediatum obiectum veritatis (moralis), sed *manifestatio* veri, quae est bonum » [242].

99. Secundario tamen veritas etiam accipitur non iam ut lex ipsa huius manifestationis sed ut *regula* seu condicio eius; non enim vera est manifestatio nisi sit manifestato *conformis* seu adaequata. Hae rationes primaria et secundaria veracitatis distinguuntur a S. Thoma in commentario suo *super Ethic.*, lib. IV, lect. 15, n. 835; ubi primum aspectum exhibet dicendo: « Est enim verax in quantum *de se confitetur ea quae sunt;* et hoc non solum sermone, sed etiam vitâ »; pergit autem, secundarium elementum assignando: « in quantum scilicet exterior sua conversatio *conformis* est suae conditioni, sicut et sua locutio ». *Confessio* pertinet ad veritatem *formaliter* moralem; *conformitas* condicioni loquentis *dispositive* tantum pertinet ad eandem veritatem.

In aliis locis S. Thomas posthabere videtur formalem veritatem moralem, e. g. quando, in 2^a 2^{ae}, q. 109, a. 2, in corpore articuli, virtutem moralem veritatis definit ut perficientem hominem ad hoc quod exteriora sua vel verba vel facta debite ordinentur ad aliquid *sicut signum ad signatum*. Haec tamen ordinatio non est nisi condicio dispositiva virtutis veracitatis: veritas nempe rationarii in supputationibus suis, veritas exactitudinis: non illud ipsum

---

241 Ibid., a. 2.

242 Ricardus a Mediavilla, *In 3. Sent.*, d. 38, q. 5, ad 1m.

obiectum quod *inspirat* veracitatem; immo, nec constitutivum proprium *honestatis* in veriloquio.

E contra, in responsione ad secundum, S. Thomas, quasi per transennam, enuntiat formalem rationem veritatis moralis, notando: « Quod autem aliquis *manifestet quod circa ipsum est*, pertinet quidem ad virtutem veritatis, *sicut per se intentum* ». En veritas in proprio suo morali ambitu, quatenus nempe determinat rationem ipsius boni spiritualis, quod est diffusivitas sui. Veracitas proprie dicta addit supra veritatem moralem in genere quod inclinat ad verum *ut verum* communicandum, et non tantum *quia* verum seu ut bonum quoddam. Ergo veracitas formaliter et proprie est *species* benevolentiae.

100. Peculiaris theoria S. Thomae, ubi ex professo de mendacio tractat, forsan explicatur ex eo ipso quod, dicto modo, virtutem moralem veritatis immediate determinat secundum rationem *adaequationis*, quae propria est *intellectualis* veritatis. Ex illo, dicamus, « intellectualismo » adductus esset sanctus Doctor ad hoc ut aliquatenus, ni fallamur, posthaberet rationem augustinianam, eamque praecipuam, locutionis, necnon mendacii, ipsiusque veracitatis (quin eas ignoraverit), ut potiorem locum tribueret rationi adaequationis, et consequenter reprobaret mendacium proprie ex inadaequatione signi ad signatum, ideoque, ut ipse profitetur, a parte « indebitae materiae » super quam caderet.

Actus autem hoc modo prohibitus, scilicet a parte materiae suae, prohibetur secundum regulam ex professo materialem, ideoque *rigidam* in universalitate sua. Rigidum autem frangibile est: regula scilicet materialis, etiam in moralibus, necessario suscipit in praxi *exceptiones suas*, et honestas ipsa conscientiae nonnunquam compellere poterit ad « illicitum », si hoc materialiter determinatur.

Prohibitio autem actus quae se tenet a parte *formae* actus, e contra, poterit esse prorsus *universalis* (universalitate naturali formae), necnon naturaliter adaptabilis, sicut omnis forma dum variis dispositionibus materiae propor-

tionatur. Prohibitio formalis bene perspecta ostendet quomodo aliquis in tali *exceptionali circumstantia,* falsa vocibus proferendo, reapse non mentitus est, ideoque regulam intactam asservavit.

§ II. De frustratione.

I. *Distinctio frustrationis a deceptione.*

101. His praemissis, statim transire deberemus ad considerationem deceptionis, seu corruptae communicationis; at necessarium est doctrinam de deceptione introducere breviter agendo de *frustratione.*

Graeci enim rationem frustrationis (ψεῦδος) potius quam fallaciae (ἀπάτη; cfr. n.64) communiter usurparunt ad mendacium designandum[243]. Non defuerunt insuper auctores qui rationem mendacii ad veritatis frustrationem reducerent. Revera conceptus frustrationis et deceptionis intime inter se connectuntur, cum consequente periculo confusionis. Et frustratio enim et deceptio communicationi opponuntur; at non eodem modo. Frustratio enim communicationi opponitur per simplicem privationem, in quantum omittitur expectata communicatio: ut si viam petenti denegetur responsio. Deceptio vero opponitur communicationi per contrarietatem: ut si eleemosynam petenti falsus nummus clam porrigatur, aut viam petenti falsum iter indicetur.

Patet autem quod deceptio nequit exerceri sine aliqua frustratione. Attamen ratio frustrationis non est formalis

---

[243] Frequens est haec nominis rei communioris et simplicioris appropriatio ad rem peculiarem, praesertim probrosam, designandam. Similis processus minutae designationis (*litote*) circa mendacium notanda veniet in explicatione ipsorum verborum « mendax » et « mentiri ». Quod autem ratio vocis ψεῦδος ad mendacium designandum non circumscribatur, manifestum est ex eo quod adhibetur de illis qui promissionem factam non adimplent, de simulacris deorum, ad quae preces frustra diriguntur, etc. Cfr. Stephanum, *Thes. L. G.;* Liddell-Scott, *Greek-English Lexicon,* ψεύδω.

deceptioni (nec proinde mendacio), sed *fundamentalis* tantum, seu praesupposita; hoc sensu quod nemo mentitur quin simul tempore, et antecedenter ratione, veritate frustret audientem. Frustratio autem ipsa non constituit mendacium, ne generice quidem; per se enim terminatur ad solam ignorantiam, non autem, ut deceptio verbalis, ad errorem inducendum; sicut amor non est sine praesupposita quadam cognitione amati, sed cognitio amati non pertinet formaliter ad amorem. Unde, licet necessarium sit de frustratione quaedam dicere, propter praedictas rationes, et quia considerationes de frustratione necessariae sunt in discriminatione mendacii, sectionem peculiarem de ipsa non proponimus, siquidem frustratio, ad differentiam fallaciae, deceptionis et perfidiae, non est habenda ut formale constitutivum rationis mendacii, sed ut fundamentum et completivum eius.

II. *Correlatio frustrationis ad fiduciam.*

102. Ratio frustrationis in genere considerata est proprie correlativa rationis *fiduciae*. Fiducia enim est, quae formaliter frustratur: frustramur circa illa quae fidebamus nos esse obtenturos, sive a propriis nostris viribus et conatibus, sive praesertim a proximo nostro, in quo fiduciam repositam habebamus, propter sociale quoddam vinculum. Frustratio enim contingit quando quis non accipit illud quod ratione communitatis alicuius, seu vinculi socialis, expectabat recipere, ideoque suum esse quadantenus praesumebat, titulo sive iustitiae, sive promissionis sibi factae, sive coniunctionis civilis aut familiaris, sive etiam titulo simplicis amicitiae. Per frustrationem amittimus, non idipsum quod actu possidebamus, sed id quod anticipative considerabamus ut nostrum. Frustratio igitur, sensu passivo, stricte definiri potest ut privatio boni quod aliquis titulo aliqualis communionis socialis opperiebatur suumve reputabat. Frustrat autem active proximum ille qui actuali

cuidam fiduciae in se repositae non respondet, denegando vel omittendo id quod ab ipso sperabatur.

III. *Ethica frustrationis.*

103. Frustratio in se considerata non est habenda ut intrinsece culpabilis (cfr. n. 10); siquidem fiducia, ratione cuius aliquis frustratum se experitur, nec semper, nec per se constituit actum virtutis; non omnis fiducia nomen proprium *fidei*, i. e. virtuosae fiduciae, meretur; fiducia enim quaedam nihil aliud est quam sensus naturalis non inhonestus, at moraliter indifferens; est et fiducia praesumptuosa: quas frustrare per se non est illicitum, immo nonnunquam obligatorium. Fiducia et fides se habent in ordine virtutis, sicut bibere et inebriari in ordine culpae.

Ex quibus patet quod nullam proprie dictam offensionem proximi committit ille, qui exspectationem non disconvenientis liberae munificentiae frustrat per deliberatam omissionem, cum bene posset eidem respondere[244]. Quod enim gratis datur, gratis negatur. Frustratio igitur expectationis prorsus gratuitae non est habenda ut offensiva: e. g. frustratio operariorum parabolae, qui, cum pro labore diurno compactum denarium accepissent, arbitrabantur « quod essent plus accepturi », videntes liberalitatem patris familiae in operarios undecimae horae[245]; nec ullo modo offensionem accepisset humanitas si naturale ipsius desiderium beatitudinis, licet undecumque rationabile, adimpletum non fuisset.

Legitima vero frustratio proximi respondet inordinatae eius expectationi, i. e. expectationi immoderatae, vel indiscretae, vel illegitimae: expectationi nempe rei alicuius quam non licet, aut non convenit, communicare. Siquidem,

---

[244] Imperfectum tamen amorem in proximum in hoc nonnunquam exhibet. Denegatio liberae communicationis aliunde non disconvenientis constituit *imperfectionem* in homine qui legi operosae caritatis submittitur, ut divinam perfectionem assequatur.

[245] Mt., 20, 1-16.

cum omnis societas fundetur in communi aliqua possessione, ut dictum est, societates distinguuntur ab invicem et circumscribuntur per *reservatam*, seu relative privatam, possessionem. Laeditur proinde structura socialis in humana convivendi ratione, quandocumque bonum appropriatum alicuius definitae societatis extraneis qua talibus *proditur*.

Non igitur sola communicatio, sed *secretio* quoque bonorum sive materialium, sive etiam spiritualium, e. g. notitiarum, potest ipso titulo socialis communitatis servandae fieri licita, conveniens, immo et debita, et quidem, sicut ipsa communicatio, variis titulis iustitiae, etc. Si quis igitur, *non discernens* characterem reservatum socialiterque appropriatum alicuius notitiae privatim possessae, expectat postulatve notitiae huius communicationem, legitime frustratur in fiducia sua defectuosa, utpote indiscreta; licet notitia aliunde esset ei omnino utilis. Sic absque culpa frustratur vicinus interrogans filium familiae de summa patrimonii debitorumve genitorum suorum, si ei denegetur responsio.

Attendenda igitur est distinctio *fraudis* a frustratione activa; distinguuntur enim sicut homicidium ab occisione. Fraus proprie est frustratio formaliter illicita; frustratio autem remanet moraliter indeterminata.

IV. *Theoria « debitae » veritatis.*

104. Ex hoc ergo quod activa frustratio veritatis, i. e. communicandae notitiae, non est per se culpabilis, rationem autem fundamentalem mendacii constituit, non est mirandum quod plures ex hac parte quaesiverint solutionem quaestionis moralis de mendacio, reducendo nempe mendacii rationem ad activam frustrationem *debitae* veritatis, et consequenter advertendo quod non omnis veritas est « debita » [246].

---

[246] « Ad communem... mendacii notionem requiritur, ut quod dicitur... intelligi aliter nequeat, quam in eum sensum

In promptu quippe erat, praesertim apud iuristas, quae stionem de mendacio sub iuridico tantum aspectu suo considerare; qui quidem negligendus non est, at ipsi doctrinae essentialiter *ethicae* de mendacio non intrinsecus, seu formalis, sed fundamentalis tantum, seu praesuppositus, siquidem conversatio inter homines iuribus tegitur et fulcitur. Discriminatio igitur mendaciorum abstrahere nequit ab aspectu iuridico humanae conversationis, at non reducitur ad discriminationem iurium, sed proprie ad discriminationem *officiorum*.

Inepte autem quis refutare conaretur hanc iuridicam theoriam de mendacio ex eo quod reduceret mendacium ad genus proprium iniustitiae[247]. « Debitum » enim non necessario strictum intelligendum est, sed variis titulis in-

---

qui a mente proferentis discrepet. Huic autem notioni laxiori strictior mendacii, qua naturaliter illicitum est, significatio differentiam aliquam propriam adiiciat necesse est, quae, si recte res inspiciatur,.... nulla videtur alia dari posse praeter repugnantiam cum iure existente ac manente eius ad quem sermo ... dirigitur... Ius hic intelligo... quod proprium sit huic negotio atque cognatum. Id autem nihil est aliud quam iudicandi libertas, quam homines colloquentes his quibus colloquuntur debere, quasi pacto quodam tacito intelliguntur ... Tolli autem videtur posse ius quod diximus, sicut consensu eius quicum agimus expresso..., ita et tacito aequave ratione praesumpto, aut oppositione iuris alterius quod communi omnium iudicio multo plus valeat ». H. Grotius, *De iure belli ac pacis*, Lib. 3. c. 1., § 11 (Amsterdami, 1646, pp. 431 s.).

[247] Nonnunquam tamen, verbotenus saltem, ita exponitur theoria « debitae veritatis », ut de iure stricto agi videatur:

« Le mensonge psychologique est l'énoncé conscient d'une erreur; le mensonge moral est l'énoncé conscient d'une erreur *avec une intention injuste* ... Par conséquent, toutes les fois que nous parlons sans y être directement provoqués, si nous altérons la vérité, nous sommes coupables ..., parce que nous sortons du droit, qui est, pour notre semblable, tant que lui-même est resté dans les limites du juste, d'attendre de nous la vérité.

« Mais si nous sommes interrogés de façon que nous ne puissions éviter de répondre..., deux cas peuvent alors se présenter: ou celui qui nous interroge *a le droit* de nous interroger..., et alors nous sommes coupables si, consciemment, nous enfermons des erreurs dans nos réponses.

« Ou celui qui nous interroge n'a aucun droit á nous interroger, et alors notre réponse, quelle qu'elle soit, ne saurait créer une injustice à son détriment. Nous avons donc alors le

nixum, puta religionis, amicitiae, etc. [248]. Titulus autem essentialis « debiti » veracitatis est titulus *ipsius locutionis*, qui reducitur ad officium fidelitatis, ut subinde patebit.

Igitur praeter contingens illud incommodum reductionis mendacii ad speciem aliquam strictae iustitiae, maioris est momenti *essentiale* incommodum huius doctrinae considerare, scilicet, quod omnia fere posthabet, quae tum specifice, tum generice, mendacio propria sunt eiusque constitutiva [249]. Quod vel ex eo iam satis liquet, quod et frustratio debitae veritatis absque mendacio contingere potest, et mendacium ipsum circa prorsus indebitam veritatem exerceri potest. Ille enim qui responsum, strictissime etiam debitum, proferre renuit, non habetur ut mentiens, quantumcumque aliunde peccet ex denegato responso. Et vice versa ut mentiens indubie habetur ille qui veritatem, quam nullatenus proferre tenetur, immo quam omnino reticere debet, ultro denegando recondit.

V. *Reatus frustrationis verbalis.*

105. Concesso autem quod frustratio veritatis non est ipsemet actus mentiendi, et quod non est per se in universum illicita, quaeritur praecise de frustratione illa veritatis

---

droit de répondre comme il nous plaît ». (G. L. Fonsegrive, *Eléments de Philosophie*, vol. II, pp. 476 s., 6e édition. Paris, s. d.). Cfr. sententias citatas a Newman, o. c., cap. 5, p. 274.

[248] « Ex quo facile colligitur, quid mendacium sit; scilicet ubi signa aut verba aliam praeferunt sententiam animi nostri, quam quae revera erat, cum tamen hanc ipsam is, ad quem signa illa diriguntur, intelligendi ac iudicandi ius haberet ac nobis obligatio incumberet faciendi, ut ille nostram sententiam intelligeret. Hoc modo distinctius putem intelligi posse, cur mihi necessum sit verbis animi mei sensa liquido exponere, quam si mendacii turpitudinem simpliciter ex generali illo scito iuris naturalis, *neminem esse laedendum*, velimus derivare; quasi mendacii vis omnis in eo foret sita, ut noceat. Nam presse loquendo non nocetur alicui, cui non exhibentur, ad quae ius dumtaxat imperfectum habet; cuius tamen violatio ad mendacium sufficit ». S. Pufendorf, *De iure naturae et gentium*, Lib. 4, cap. I, § 8. Amstelodami, 1688, p. 319; cfr. § 7, ubi diversi tituli huius obligationis recensentur, non attento tamen titulo *ipsius locutionis*. Cfr. supra n. 62.

[249] Quidam, dum gratis irrident theologos, quos supponunt

quae *in ipsa locutione* locum habet, dum aliquis mentitur, utrum ut *per se* tantum illicita, an ut *intrinsece* illicita habenda sit (cfr. n. 10 et 41). Licet enim haec veritas hic et nunc huic personae non sit debita, et consequenter possim *non loqui*, nonne debetur *si loquor* tali personae?[250] Nonne debetur ipsi locutioni institutae de tali materia?

Respondetur quod frustratio verbalis est per se quidem illicita, utpote fraudulenta, *non* tamen intrinsece illi-

---

veracitatem habuisse ut Deum (cfr. n. 55), et ipsi impingunt in aliud extremum, dum moralitatem propriam absolutamque veracitatis inadvertenter, expresse tamen, e medio tollunt. Exemplo sit E. DE VATTEL: « Plusieurs, et surtout des Théologiens, se sont représenté la Vérité comme une espèce de Divinité, à laquelle on doit je ne sais quel respect inviolable, pour elle-même et indépendamment de ses effets; ils ont condamné absolument tout discours contraire à la pensée de celui qui parle. Ils ont prononcé qu'il faut, en toute rencontre, parler selon la vérité connue, si l'on ne peut se taire, et offrir comme en sacrifice à leur Divinité les intérêts les plus précieux plutôt que de lui manquer de respect. Mais des Philosophes plus exacts et plus profonds ont débrouillé cette idée si confuse et si fausse dans ses conséquences. On a reconnu que la Vérité doit être respectée en général, parce qu'elle est l'âme de la Société humaine, le fondement de la confiance dans le commerce mutuel des hommes; et que par conséquent un homme ne doit pas mentir, même dans les choses indifférentes, craignant d'affaiblir le respect dû en général à la Vérité, et de se nuire à soi-même, en rendant sa parole suspecte lors même qu'il parle sérieusement. Mais en fondant ainsi le respect qui est dû à la Vérité sur ces effets, on est entré dans la vraie route, et dès lors il a été facile de distinguer entre les occasions où l'on est obligé de dire la vérité, ou de manifester sa pensée, et celles où l'on n'y est point tenu. On n'appelle *Mensonges* que les discours qu'un homme tient contre sa pensée dans les occasions où il est obligé de dire la vérité; et on réserve un autre nom, en Latin *falsiloquium*, pour les discours faux tenus à des gens qui, dans le cas particulier, n'ont aucun droit d'exiger qu'on leur dise la vérité ». (*Le droit des gens*, lib. 3, c. 10. § 177. Londres, 1758. pp. 148 s.).

[250] Haec doctrina secundum quam veritas debetur *ipsi locutioni* moraliter consideratae, proponitur a J. MAUSBACH, generaliter quidem et indeterminate: « Eine solche Aussage (i. e. mendacium) widerspricht dem *Wesen der Sprache*; und nicht nur dies, auch dem *Wesen des Menschen* und seiner sittlichen Aufgabe, durch die Sprache der Wahrheit zu dienen. Dieser natürliche teleologische Zusammenhang lässt sich nicht lösen und lockern; daher ist die Lüge in jedem Falle sündhaft ». (*Katholische Moraltheologie*, vol. III, p. 205. 3ª ed., Münster im W., 1920). Sed affirmare fundamentum doctrinae de malitia mendacii nondum est eandem doctrinam formulasse.

cita. Fraudulenta quidem est per se frustratio verbalis, quia prorsus rationale est expectare veritatem a loquente, i. e. quod mentem suam exprimat in iis quae dicit. Idcirco fiducia versus hominem loquentem est per se virtuosa: constituit *fidem* proprie dictam. Consequenter frustratio verbalis per se frustrat non qualemcumque fiduciam, sed virtuosam, et ideo habenda est ut formaliter inhonesta.

Quod autem fiducia illius, qui locutionem attendit, sit rationalis, patet, quia *ordinata* est et *necessaria* talis fiducia.

Ordinata quidem est; nam credere homini loquenti, quem nempe « non debent temere existimare mentientem »[251], est tribuere humanae naturae honorem quo digna est. « De quolibet praesumendum est bonum, nisi appareat contrarium; dummodo non vergat in periculum alterius; quia tunc est adhibenda cautela, ut non de facili unicuique credatur »[252]. Homini loquenti fidem denegare, saltem fidem subiectivae veracitatis, sine ratione peculiari sufficienti, illicitum est, utpote offensivum et iniuriosum.

Insuper, credere homini loquenti est universaliter *necessarium* convictui humano; ergo per se legitimum et virtuosum. Ut observat S. Thomas: « Quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo debet alteri id sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines invicem convivere, nisi sibi invicem *crederent*, tamquam sibi invicem veritatem manifestantibus »[253]. Haec ratio penitius elucidatur in commentario *Super Boethium De Trinitate*: « Quia in convictu hominum unus homo oportet quod alio utatur sicut seipso in quibus ipse sibi non sufficit, ideo oportet quod stet illis quae alius scit et sunt sibi ignota, sicut his quae ipse cognoscit; et inde est quod in hominum conversatione est fides necessaria, qua unus homo dictis alterius credit; et hoc est iustitiae fundamentum, ut Tullius dicit in libro *De Officiis*: et inde est quod nullum mendacium est sine peccato, cum per omne mendacium huic fidei necessariae derogetur »[254].

---

[251] S. Augustinus, *De mendacio*, c. 11.

[252] *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 70, a. 3, ad 2m.

[253] *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 109, a. 3, ad 1m.

[254] Q. 3, a. 1. Nota S. Thomam hic asserere illud quod et ipsi defendimus, scilicet, quod in omni mendacio fides fraudatur. At minime dicit omnem fraudem audientis esse mendacium, nec quod mendacium hac ipsa fraude formaliter constituitur.

Debitum fidei non reddit fidem *exigibilem*, ideoque non respondet strictae iustitiae, sed determinationi officii amoris in proximum. Hoc autem officium generale fidei praestandae fundat correspondens officium generale veracitatis: « Et ideo virtus veritatis aliquomodo attendit rationem debiti »[255]. Qualis autem iste « modus » debiti sit aestimandus, secundum S. Thomam, apparet ex comparatione quam de eo instituit:

« Quia homo naturaliter est animal sociale, debet ex quadam honestate veritatis manifestationem aliis hominibus, sine qua societas hominum durare non posset. Sicut autem non posset homo vivere in societate sine veritate, ita nec sine delectatione... Et ideo homo tenetur ex quodam naturali debito honestatis, ut aliis delectabiliter convivat; nisi propter aliquam causam necesse sit aliquando alios utiliter contristare »[256].

106. Attamen cum hac sola ratione frustrationis verbalis nondum evincitur malitia *intrinseca*, scilicet quod *omnis* frustratio fidei rationem fraudis induat, seu culpabilis frustrationis. Etenim *per accidens* contingere potest quod aliquis discrete quidem omnino ex sua parte, i. e. ordinate, interroget; interrogatus vero ex sua parte, ob graviores rationes, nec tacere nec pertinenter respondere possit, et ideo rationabiliter, evasive loquendo, frustret interrogantem ab ipsa veritate quam expectabat; modo evasio non sit fallacia formalis (cfr. n. 78 et 90), nec ut mendax nec ut illicita habenda est.

Non igitur ex parte solius frustrationis quaerenda est explicatio malitiae intrinsecae mendacii, sed ex constitutivo quodam magis formali. Multa argumenta circa mendacii malitiam intrinsecam non evincunt intentum, quia, licet quaerant in genuina linea malitiae infidelitatis, non attendunt nisi ad frustrationem veritatis[257]. Proxima de-

---

[255] *Sum. theol.*, l.c.

[256] Ibid., q. 114, a. 2, ad 1m. Cfr. S. Augustinum, *De Trinitate*, lib. 10, n. 2.

[257] E. g. « Nec minus contradicit mendacium ordini rerum *inviolabili;* nam postulat hic ordo ut homines inter se commu-

terminatio officii fidelitatis, ut mox patebit, exsurgit ex necessario implicita *stipulatione fidei* in omni collocutione; quam quidem stipulationem accipit et ratihabet ille qui loquitur, praesertim si interroganti respondeat, eo ipso quod loquitur.

§ III. De deceptione.

I. *Notio generalis deceptionis et doli.*

107. *Frustrare* nondum est *decipere.* Frustrat ille qui rem *expectatam,* puta notitiam aliquam, non communicat. Decipit vero ille qui *in ipso actu communicandi* frustrat, sicut qui eleemosynam petenti falsum nummum inscio tribuit. Deceptio est frustratio rei specietenus vel verbotenus communicatae.

Sedulo autem notandum est quod ipsa communicatio, in deceptione, *actu* exercetur: ille, e. g. qui ovum asservatum pro recenti vendit, venditionem actu exercet; actus in quo deceptio exercetur, in se consideratus, est authenticus et validus in genere suo; sed rei ipsius, quae communicari censetur, nonnisi fallax apparentia profertur; et secundum hoc communicatio, licet authentica, *non* est *genuina,* sed ficta seu potius *fictitia* (ὑποκριτικός); perinde ac fidelitas christianorum, licet authentica, utpote in fide Ecclesiae fundata sacramentisque sigillata, « ficta » dicitur, si talis est ut probationibus succumbat; haec enim non erat genuina fidelitas[258], cui constantia deficiebat.

---

nicent sive ad subveniendum indigentiae propriae vel alienae, sive ad procurandum bonum commune societatis; iamvero haec communicatio efficaciter fieri nequit nisi per locutionem menti consentaneam, ac proinde per praxim virtutis quae dicitur *veracitas.* Ergo locutio contra mentem est *intrinsece mala* ». Ad. Tanquerey, *Synopsis theol. mor. et past.*, tom. 3, n. 377 (A, a, 2), p. 193. Parisiis, ed. 9ª, 1931). Haec omnia vera sunt, excepto quod particula « inviolabili » gratis ponitur et sublineatur. Qua dempta non concluditur nisi illiceitas per se mendacii.

[258] Cfr. II Cor., 6, 6; 8, 8; Phil., 2, 20; I Tim., 1, 5; II Tim., 1, 5; etc.

Species seu apparentia rei falso communicatae constituitur sive verbis, sive gestibus, sive rebus fictis, i. e. inanem rei ipsius suggestionem praeseferentibus, sicut nummus falsus suggerit valorem titulo nummi respondentem, et promissio subdola futuram donationem. Haec fictio essentialis est ad constituendam deceptionem; ille enim qui panem petenti lapidem *aperte* porrigeret, non deciperet, sed frustaret tantum; nihil enim est porrectio lapidis nisi modus quidam panem denegandi. Deciperet autem si involutum lapidem panis instar illudendo porrigeret. Deceptio igitur supponit fictionem rei communicandae; et si agatur de verbali deceptione, supponit fictionem sententiae propriae loquentis, ut infra ostendetur.

108. Ex eo quod deceptio coniungit authenticitatem communicationis cum inanitate rei communicatae, distinguitur a *fictione ipsius communicationis*: qualis est, e. g., actio illius qui ex compacto cum paupere simulat se ei eleemosynam dare. Parum hic refert utrum falsum verumve nummum impertiat, cum donationem non exerceat; simplex ergo fictio communicationis per se neminem frustrat; sed directe iudicandum est de fictione actionis utrum rationabiliter fiat necne.

Licet ergo deceptio apte definiretur ut *communicatio ficta*, vel potius *fictitia*, eo sensu quo loquuntur de iuramento ficto [259], nihilominus, ad vitandam aequivocationem cum *fictione communicationis*, satius erit eam definire minus eleganter, sed magis clare, ut *communicationem boni ficti*. Non vocamus eam « communicationem fraudulentam », licet per se sit ut talis habenda, quia nomen secumferret intrinsecam malitiam, de quo non est praeiudicandum. Notemus tantum quod in deceptione communicatio est authentica, sed corrupta, seu non genuina [260],

---

[259] Cfr. J. Salsmans, « Le serment fictif », *Nouv. Rev. Théol.*, 46 (1914) pp. 30 ss.

[260] Cfr. Dan., 2, 9 « ... quod interpretationem (somnii) quoque fallacem et deceptione plenam composueritis ... » ὅτι ῥῆμα ψευδὲς καὶ διεφθαρμένον συνέθεσθε εἰπεῖν...

utpote *subiectum fictionis* (« fictio in re »); in fictione vero communicationis, communicatio non est authentica, utpote *obiectum* fictionis (« fictio rei »); in primo casu surripitur id quod donatur: realis donatio defraudatur; in altero casu fingitur irrealis donatio.

Haec differentia facile perspicitur, vel saltem sentitur, in materiis visibilibus, sed non ita in materiis intentionalibus; et ideo perplexitas oriri potest ex non attenta differentia morali totali inter locutionem fallacem et fictionem locutionis, praesertim quando practice coincidunt in effectum materialem erroris audientis producendum.

109. Ex eo quod supponit fictionem aut simulationem in executione sua, deceptio continetur sub genere *doli*. Dolus enim in genere consistit in hoc quod « aliud agitur et aliud simulatur » [261]: « Quid est dolus, nisi aliud agere et aliud *simulare*? » [262]. Dolus est cum aliud agitur et aliud *fingitur* » [263].

Non omnis quidem dolus est deceptio, sed deceptio est dolus *in communicando* exercitus. Id quod « agitur » in deceptione est inanis communicatio; id quod « fingitur » est *res* communicanda; id autem quod « simulatur » est *genuina* communicatio. De simulatione quidem et de fictione in se sumptis, prout ad dolum mendacis deceptionis pertinent, agemus in tertia parte. Sequens doli definitio ad ipsum mendacium formaliter sumptum exactius aptatur. ut infra patebit: « Quid est dolus? Cum aliud agitur, aliud *obtenditur* » [264].

Haec de dolo dicta nunc sufficiant, ut intelligatur cur auctores iure, ut plurimum, non distinguant inter dolum et deceptionem, genus pro specie praecipua usurpando, et dolum considerent ut plenam explicationem mendacii, mendacium vero ut typicum dolum.

---

261 S. Augustinus, *Enarratio in Ps. V*, n. 8.
262 S. Augustinus, *Sermo CCCLIII*, n. 1.
263 S. Augustinus, *Tract. VII in Ioan.*, n. 18.
264 S. Augustinus, *Sermo CXXXIII*, n. 4.

II. *Deceptio propria mendacii.*

110. Licet deceptio non constituat moralem ipsam speciem mendacii, et veracitas plus dicat quam simplicem fidelitatem, fatendum est tamen quod fidelitas primario maximeque exercetur in loquendo, et ideo in quibusdam linguis vocabularium fidelitatis appropriatur veracitati. Vox « true » (angl.), e. g., aequivalet voci « treu » (germ.), quae sensu primo significat illum qui constanter adhaeret duci vel amico, principio vel causae, promissionibus, fidei, etc.; firmus in iurata adhaesione; fidelis, probus, constans, fidens; sensu autem generaliori: honestus, honorabilis, sincerus, virtuosus, fide dignus, *veridicus* ». Qui quidem sensus veracitatis vix non exclusive usurpatur in voce « true, truth », etc. [265].

Quodsi fidelitas emineat in locutione, consequens est quod deceptio praecipue exemplificetur in mentiendo; quod quidem manifeste evinci potest, comparando deceptionem quae exercetur in promittendo cum deceptione quae exercetur in loquendo.

111. Iam aliquatenus sane decipit ille qui promissionem sincere factam non adimplet. Non solum enim frustrat expectationem, sed fundamentum ipsum expectationis, quod promittendo posuerat, eratque bonum quoddam in se distinctum, positive destruit. Non solum « non dat » promissum, sed « desumit » illud quod actu dederat, ipsam nempe promissionem, quam vanam reddit; promissarius « decipitur » a securitate quam « receperat ».

Quod ipsa promissio bonum quoddam ab obiecto promisso *distinctum* constituat, ut indubium habet S. Thomas:

« Nulli autem dubium esse potest, quin ipsa promissio boni sit aliquod bonum; unde et qui homini aliquid promittit, bonum aliquod ei videtur iam impendere; unde et quibus aliquid promittur gratias agunt » [266].

---

[265] Cfr. *The Oxford English Dictionary*, « True », « Trust », « Truth », etc.

[266] *De perfectione vitae christianae*, cap. 12. « Qui autem facit aliquid sine voto, dat ei solum quod facit propter eius amorem; qui autem non solum facit, sed etiam vovet, non solum dat ei quod facit, sed etiam potentiam qua facit. Facit

Haec tamen non adimpletio promissionis, seu frustratio promissi, non est nisi deceptio late dicta, i. e. mere implicita; nondum elicita deceptio. Strictiori sensu decipit ille qui hic et nunc *ficte promittit*, i. e. sine animo tribuendi illud quod promittit. Attamen et in ficta promissione deceptio, licet elicita sit, non est formalis, sed virtualis tantum; etenim promissio facta cum intentione non adimplendi remanet authentica promissio, ideoque valida, ita ut si promittens postea resipiscat ab intentione sua fraudulenta, adhuc teneatur promissum persolvere. Deceptio falsae promissionis remansit in intentione, et quasi in fieri; non transiit in actum: authentica data est cautio, genuina assumpta est obligatio boni in futurum tribuendi. Deceptio autem non perficietur nisi quando promissio actu non adimpleta fuerit, conformiter ad occultam intentionem promittentis. Igitur falsa promissio, considerata abstrahendo ab eius non-executione, virtualem tantum deceptionem constituebat [267].

In casu vero mendacii, i. e. falsae assertionis, e. g. notitiae, vel propositi, etc, donum in assertione operatum nullo pacto reale donum fuit propriae sententiae, quantumvis authentica fuerit assertio. Authentica communicatio fuit immediate formaliter corrupta de praesenti, perinde ac dum ovum asservatum pro recenti venditur. Mentiens igitur mentiendo subito complet deceptionem, definitive quidem, et quadantenus irreparabiliter.

112. Comparando autem mendacium cum exemplo deceptionis supra proposito, illius nempe, qui pauperi eleemosynam petenti falsum nummum sub specie eleemosynae tribuit, facile colligitur deceptionem in mendacio in eo consistere quod sententiam non tuam, ideoque falsam et inanem (quasi nummum falsum) pro sententia propria profers audienti: « Linguâ agitur dolus, cum aliud ore profertur, aliud pectore tegitur » [268]; « Quid enim aliud est 'loqui dolum', nisi aliud labiis promere, cum aliud claudatur in pectore, » [269].

---

enim se non posse quin faciat, quod prius non facere licite poterat ». (Ibid.).

267 Alium quendam typum virtualis deceptionis videsis in S. Bernardi Epist. CCXVII. Cfr. VACANDARD, *Vie de S. Bernard*, vol. II, Paris, 1920, p. 188.

268 *Enarratio in Ps. XIV*, n. 3.

269 S. AUGUSTINUS, *Sermo XVI*, n. 4.

Utraque deceptio est formalis, sed plenius verificatur deceptio in verbis exercita prae illa quae in fictione rei materialis exercetur. Locutio enim, ut ostensum est, est actus apprime communicativus secundum se, donum ex ratione sua; igitur in mendacio maxime verificatur ratio hypocriticae beneficentiae, quae deceptionis indolem constituit. Deceptiones aliis rationibus operatae, e. g. per illusiones opticas (camouflage), per motuum simulationes, etc. nonnisi accedunt ad perfectionem mentiosae deceptionis: res physica in ipsis, non donum qua tale, fingitur.

Iure igitur S. Thomas, ratione plenioris huius deceptionis, considerat mendacium (ad differentiam fraudis) ut specialiter appropriatum dolo, quia dolus « principaliter fit per verba..., et ideo dolus maxime attribuitur locutioni » [270].

III. *De reatu deceptionis.*

113. Nunc attendamus ad deceptionem obiective sumptam, nempe in effectu suo formali, seu in obiecto suo: in eo scilicet in quo *offendit proximum* et sociale peccatum constituit. Ad hanc deceptionis moralem rationem exacte perspiciendam, abstrahere oportet ab omni nocumento per accidens illato, ab eo nempe quod inesset positivi mali, sive inhaerentis sive consequentis, rei illi quae loco boni tribuitur, ut attendamus simpliciter ad inanitatem boni ficti quod communicatur.

Dupliciter autem deceptio in se sumpta proximum offendit: primo quidem in eo quod falsam boni possessi assecurationem ipsi ingerendo nocumentum *erroris* eidem infert *circa bonum suum proprium;* secundo, in eo quod illusoriam ei impressionem confert legitimae communionis socialis actu exercitae: ille nempe reputabat amicitiam sibi exhiberi, revera exercebatur actus occultus *dissociationis*. Dum enim aliquis eleemosynam, e. g., tribuit, eo ipso *communionem* aliquam *specialem*, saltem transitoriam,

[270] *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 55, a. 4, ad 2m.

init cum paupere donatario; quae quidem communio obiective determinatur secundum *materiam communicatam*, i. e. ad valorem (saltem praesumptum) nummi porrecti, ad quem mensuratur et generositas donatoris et gratitudo donatarii.

A) *Offensio effectiva.*

114. Quoad primam igitur offensionem, quam effectivam seu realem appellare possumus, notandum est quod dum praedictam communicationem manifestat, donator creat in donatario expectationem, immo potius *securitatem*, circa nummi huius possessionem, quem ille naturaliter quidem authenticum aestimat. Quodsi nummus reapse falsus erat, donatarius non tantum privatur valore expectato, sicut si nummus fuisset sibi denegatus, sed fallitur existimando se nummi authentici possessorem, fallitur nempe circa bonum propriae potentiae acquirendi ad valorem nummi. Contrarium receptionis ei obtigit, i. e. deceptio. Communicatio nummi falsi non est igitur actus simpliciter vacuus, sed actus per se damnosus.

Insuper actus ille est directe realiterque *offensivus*. Siquidem communicationi activae seu effectivae (μετάδοσις) a parte donatoris, correspondit a parte donatarii communicatio passiva seu susceptiva (μετάληψις), scilicet *actus* moralis *acceptationis;* et in hoc ipso suo actu deceptus est, cum inductus fuerit ut rem inanem actu apprehenderet.

In casu proinde mendacii corruptio communicationis non terminatur ad solam ignorantiam, sicut in denegatione responsi, nec ad solum errorem in quo audiens forte inducitur, sententiam falsam ut veram habendo: sed et ad errorem circa possessionem notitiae, i. e. circa bonum subiectivum; errat in fidendo.

Supposito quod deceptus *libenter* in aliqua materia decipiatur, secundum dictum, « Mundus vult decipi », ratio mali perseverat, tum quia deceptio antecedit effectum de quo deceptus laetatur, tum quia per se de malo iu-

dicandum non est secundum affectum illius, qui malum patitur, sed secundum operatum in se consideratum.

B) *Offensio personalis.*

115. Secundo, praeter offensionem illam effectivam et realem, donatarius falsi nummi formalem etiam seu *personalem* offensionem patitur. Quidquid sit enim de titulo valoris nummi falsi, fallitur donatarius dum existimat se esse obiectum actus communionis socialis. In casu autem mendacii reputat se esse obiectum benignae veracitatis, dum revera obiectum est fallacitatis. Abstrahendo ab omni momento peculiari seu ab omni bono intrinseco rei seu notitiae communicatae, superest, immo eminet, factum ipsius personalis communionis, praesertim in locutione, quae maxime contactum personarum ipsarum secumfert. Supposito proinde quod notitia circa quam aliquis decipitur nullius esset momenti, adhuc perseveraret deceptio in eo quod aliquis adductus fuerit ad hoc ut falso existimaret se cum proximo societatem exercere, quod est bonum in se, contrarium autem, malum in se; dicimus autem « contrarium », quia revera deceptio, praesertim in mendacio, *dissociationem*, et quidem mentalem et intimam, introducit, dum scilicet aliquis consequenter ad mendacium existimat hoc esse verum, alter vero esse falsum; ex quo audiens et loquens disiunguntur positive. Patet ergo quod pravitas deceptionis omnimode opponitur bono morali communicationis.

Falsitas igitur actus mentiendi non est falsitas mere logica, puta falsi numeri, nec sola falsitas physica nummi non authentici; sed falsitas quaedam *ethica*, pravitas videlicet actus boni non genuini in ratione boni, inanitas per se intenta communicationis tum realis tum personalis.

C) *Gradus offensionis.*

116. Ex eo quod mendacium, ratione deceptionis in eo exercitae, opponitur amori in proximum [271], nondum se-

---

[271] ψεῦδός ἐστιν ἀγάπης ἀφανισμός. S. Joannes Climacus, *Scala Paradisi*, Gradus XII. P. G. 88, 853.

quitur illud esse peccatum grave ex genere suo, tum quia non formaliter opponitur amori, sicut odium, sed materialiter tantum, seu effective, nempe in actu communicandi; tum quia oppositio amori non est in mendacio definitivum ipsum elementum, sed secundarium; unde et rarius mentiuntur homines ex motivo odii adversus audientem.

Reatus tamen offensionis augebitur non ex solo sententiae falsae momento intrinseco [272], sed et pro mensura arctioris necessitudinis, potiorisque valoris *communionis* habitualis inter loquentem et audientem. Magnae nonnunquam, immo fatalis, ut dicitur, gravitatis esse poterit offensio deceptionis in mendacio, si nempe violet, etiam circa fallaciam negligendi valoris intrinseci, intimam valde amicitiam conversantium.

Ex quo manifestum est quanti importet pueros quantocius educare ad sensum offensi amoris quandocumque genitoribus ipsis mentiuntur; et vice versa necessarium est exhibere ipsis sedulam sinceritatem, et potius plane denegare responsum quam quomodolibet illos illudere et decipere [273]; vix enim (ut alia damna praetermittamus) est unde magis vitietur indoles intima

---

[272] « (Fides) in rebus etiam corporeis et abiectis magnum animi bonum est; et ideo eam saluti quoque corporali, qua etiam vita nostra ista continetur, certum est debere praeponi. Etsi enim exigua palea prae multo auro pene res nulla est; fides tamen, cum in negotio paleae, sicut in auro, sincera servatur, non ideo minor est, quia in re minore servatur ». (S. Augustinus, *De bono coniugali*, cap. 4.

[273] Sententia Lucretii, « ut puerorum aetas improvida ludificetur », nonnunquam inducitur in exemplum legitimi mendacii. Contextus ostendit nullatenus agi deceptionem, siquidem « decepta non capitur », sed beneficum dolum suggestivum:

Deinde quod obscura de re tam lucida pango
Carmina, musaeo contingens cuncta lepore;
Id quoque enim non ab nulla ratione videtur:
Sed veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum aetas improvida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Absinthî laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat;
Sic ego nunc... Lucretius, *De rerum natura*, Lib. I, vv 932-940, et Lib. IV, v. 8 ss). cfr. S. Gregorium, *Moralium*, lib. 5, cap. 12, n. 28.

pueri, quam si decipi se agnoverit ab iis etiam quos in se bene affectos novit.

Item deceptio per accidens qualificabitur, non tantum ratione materiae, e. g. ex iustitia debitae, circa quam versatur, sed etiam *ex animo* quo exercetur; sunt quidem verbales deceptiones quae ludibrii, immo crudelitatis, nomen merentur. Deceptio autem quae in mendacio per se exercetur proprie perfidiam constituit, ut exinde patebit.

IV. *De deceptione licita.*

117. Deceptio operata ubi adsunt relationes mutuae fidelitatis utique formaliter illicita est, utpote proprie fraudulenta. Cum igitur relationes fidelitatis sint normales in humana conversatione, et abruptio earum exceptionalis et accidentalis, deceptio, perinde ac dolus in genere, ut plurimum non sine fraude locum habebit. In locutione autem, obiective res considerando, simplex, seu non fraudulenta, deceptio locum non habebit unquam, siquidem locutio supponit relationes fidelitatis; sed occurrent *exceptiones* tum locutioni, tum ipsi deceptioni, casus nempe in quibus ipsa fiducia in audiente non erit praesumenda; de quibus postea agemus.

Ex quo intelligitur dictum S. Augustini, non quasi definitionem mendacii enuntians, sed concretam veritatem: « Quisquis autem esse aliquod genus mendacii quod peccatum non sit putaverit, decipiet seipsum turpiter, cum *honestum* se *deceptorem* arbitratur aliorum » [274]. Argumentum in abstracto sumptum non esset conclusivum; deceptio enim licita contingere potest, retenta sola materiali pravitate. Eodem modo bene intelligitur sententia S. Alberti Magni: « Mendacium autem, quia deceptio est, cum iniuria proximi est » [275].

Ostendendum ergo deceptionem simplicem nonnunquam evadere licitam absolute; nonnunquam vero, ex conside-

[274] *De mendacio*, n. 42.
[275] *Comment. in Oseam*, cap. 2, Lugduni, 1651, p. 12.

ratione infirmitatis imperfectorum, condonabilem, licet improbandam.

118. Ex hoc solo quod relationes fidelitatis saepius interrumpuntur vel circumscribuntur non sequitur campum aperiri licitae deceptioni; etenim, sublatis etiam fidelitatis condicionibus obiectivis, perseverare potest simplex fiducia subiective honesta et obiective innocua, in illo e. g. qui circumstantias ignorat eisve non attendit. Hanc fiduciam, bona fide quidem — etiamsi forsan non absque peccato [276] — asservatam, decipere constituit obiectivam proximi offensionem, similem, in genere affectuum, violentae percussioni in genere physico, et nonnunquam multo magis sensibilem et offensivam.

Ratio quippe offensiva et materialis pravitas violentiae in eo consistit quod vis ab extrinseco illata renitenti patienti, cuius naturae convenit actio rationalis *spontanea*, est formaliter *inhonorans* ex genere suo, ideoque offensiva. Iamvero nihil magis spontaneum in homine est quam fiducia; unde vulnerari in ipsa fiducia est per se apprime offensivum; et hoc contingit in deceptione.

Ex dictis ergo in prima parte de pravitate materiali, ponere possumus tamquam regulam licitae deceptionis non fraudulentae, quod tunc tantum intemeratâ conscientiâ admitti poterit deceptio, quando modum hic et nunc unicum constituet adimplendae servandaeve *strictae obligationis;* tunc tantum materialis offensio proximi sine formali eius offensione locum habere poterit. Contingere scilicet poterit quod deceptio non fraudulenta inveniatur in

---

[276] « ... Cum vero ad peccatum admittendum adhibetur fides, mirum si fides appellanda est. Veruntamen, qualiscumque sit, si et contra ipsam fit, peius fit; nisi cum propterea deseritur, ut ad veram fidem ac legitimam redeatur: id est, ut peccatum emendetur, voluntatis pravitate correctâ. Tamquam si quis, cum hominem solus expoliare non possit, inveniat socium iniquitatis, et cum eo paciscatur, ut simul id faciant, spoliumque partiantur; quo facinore commisso totum solus auferat. Dolet quidem ille, et fidem sibi servatam non esse conqueritur... » (*De bono coniugali*, cap. 4).

bilance quadam inevitabilis dilemmatis librata cum actu formaliter illicito vitando, e. g. ex occasione legitimarum hostilitatum.

Etiam tunc, quando nempe per accidens obligatoria fiet operatio deceptionis, non amittet pravitatem suam materialem intrinsecam actus positive offensivi in proximum. Sic in officio exploratoris, tempore belli legitimi exercito, licet necessario et heroice nonnunquam adimpleatur, insunt inevitabiles deceptiones hostium bona fide conversantium cum exploratore dissimulato; necessitas et obligatio talium deceptionum non aufert ab eis quod magis quam occisio patranda nonnunquam repugnent *sensui* morali; unde nomen eorum consuetum: « dirty work », « sale métier ».

119. Ut exemplum simplicis licitae deceptionis in variis suis aspectibus expendendum, proponere possumus casum sequentem: Auctoritas religiosa in aliqua regione notificavit religiosis Superioribus ut caverent insignem quemdam falsarium, talari veste indutum, ficto nomine circumeuntem ad eleemosynas nominatim pro longinqua aliqua dioecesi colligendas. Quem cum aliqua Superiorissa religiosa agnovisset accedentem sibi in conventus locutorio, cum bene potuisset eum dimittere, ex caritate tamen erga ceteras religiosas communitates obligatam se sentit ad falsarium quaestoribus tradendum; quem cum non valeat nec decens aestimet in locutorio violenter inclusum retinere, eum benigno vultu auditum invitat ut prandium sibi mox apparandum expectet, dum ipsa de eleemosyna pinguiori oeconomam consuluerit. Interim telephonio quaestores accersit, qui subito comparentes manicis iniectis virum apprehendunt.

Notandum in casu non adfuisse necessario falsiloquium, nec necessariam fuisse, sicut in casu occisionis privatim assumendae, legitimam defensionem actu exercendam, sed obligationem ex caritate adimplendam; modum tamen agendi Superiorissae retinere in se nonnihil probrosi sensui (si non ipsi frigido iudicio) morali; notandum tandem quod falsarius, licet mala fide eleemosynas petierat, bona tamen fide prandii invitationem acceptavit. Quodsi falsarius, e contra, astute prandium erogasset, intentione surripiendi quodcumque sibi obveniret, utique condiciones ipsius deceptionis iam non adessent, sed relinque-

retur ut astutia astutiâ repelletur, ex principio legitimae privatae defensionis.

V. *De deceptione condonabili.*

120. Nunquam proinde simplex deceptio erit per se licita, nisi, secundum regulas superius traditas de pravitate materiali, deceptio, ceteroquin non fraudulenta, hic et nunc inveniatur indivisibiliter connexa cum formalis peccati evitatione.

Per accidens tamen continget eam fieri pro tali homine, *imperfecto* videlicet, si non licita, saltem *condonabilis*, licet non fuerit obligatoria [277]. Casus obtinget saepius in compensatione occulta, in qua quis, laesus in iure proprio, commodiorem hunc modum, licet offensivum, eligit ad ius proprium recuperandum.

Casus succincte proponitur a S. Augustino in *Enarr. in Ps. 104*, n. 28:

« ... nec in eo quod (Israelitae) Aegyptios deceperunt, a quibus sibi ut commodaretur aurum argentumve petiverunt, putandus est Deus huiusmodi dolos eis qui sursum cor habent vel iubere vel, si fecerint, approbare. Magis enim per illa Dei verba — utique ab illo qui cor eorum videbat, et cupiditates examinabat — *permissi* sunt facere ista, quam iussi... ».

Extensam autem moralem analysim casui dedicat in libro *De diversis quaestionibus LXXXIII*, Q. 53; quam ut summarium doctrinae de deceptione concludendo proponimus:

« Summa et perfecta virtus est neminem decipere... Sed quia hoc eis imperatum est, quibus iam regnum coelorum promissum est,... quaerendum est quibus gradibus ad istam summitatem perfectionemque veniatur... Sicut ergo summa et prope divina virtus est, neminem decipere; sic ultimum vitium est, quemlibet decipere. Ab hoc ultimo vitio ad illam summam virtutem tendentibus gradus est, neminem quidem vel amicum, vel ignotum, sed tamen inimicum aliquando decipere.... Sed quoniam

---

277 Prout de analogo casu actionis licitae, sed materialiter pravae, notat S. Ambrosius: « Excusationem habebis, si feceris; laudem, si non feceris ». (Epist. 25, n. 3).

et ipse hostis potest plerumque iniuste decipi, veluti cum pactum aliquod fit de temporali pace, quas inducias vocant, et non servatur fides, et caetera talia, multo est purgatior summaeque illi virtuti propinquior, qui quanquam velit hostem decipere, non eum tamen decipit nisi auctoritate divina ...

« Quapropter Deus quidem per seipsum neminem decipit...; dignis tamen digna distribuens..., utitur animis pro meritis et dignitatibus, quae sunt in gradibus earum, ut si quisquam dignus est decipi, non solum per seipsum eum non decipiat, sed neque per talem hominem qui iam congruenter diligit et custodire persistit « Sit in ore vestro, Est, est; Non, non »; neque per angelum, cui non convenit persona fallaciae; sed... per talem hominem, qui nondum se huiusmodi cupiditatibus exuit... Hinc est quod iudex damnatum percutere indignum sua persona et nefarium iudicat: eius tamen iussu hoc facit carnifex, qui pro sua cupiditate sic ordinatus est in officio, ut percutiat legum moderatione damnatum, qui posset etiam innocentem sua crudelitate percutere... Hinc est etiam quod irrationabilibus animantibus utimur ad res quas per homines agi nefarium est. Nam utique dignus est fur morsu lacerari: id tamen homo non per seipsum agit..., sed per canem, quam bestiam talia facere pro naturae suae gradibus decet. Cum igitur quosdam pati aliquid deceat, quod alios facere non deceat, ministeria quaedam sunt media, quibus digna iniunguntur officia; ut eis utens ipsa iustitia, non solum talia pati quemcumque imperet, qualia pati eum decet, sed etiam iis facientibus, quos talia facere non minus decet.

« Quapropter cum et Aegyptii deceptione digni essent, et populus Israel pro illa aetate generis humani in tali adhuc gradu morum constitutus esset, ut non indigne hostem decipere; factum est ut iuberet Deus, vel potius pro illorum cupiditate permitteret, ut vasa aurea et argentea, quibus adhuc terreni regni appetitores inhiabant, et peterent ab Aegyptiis non reddituri, et acciperent quasi reddituri (*Exod.* 3, 22). Quam et mercedem tam diuturni laboris atque operis pro talium animarum gradu non iniustam Deus esse voluit, et poenam illorum quos digne fecit amittere id quod reddere debuerunt...

« Non ergo mirum si hostem decipi dignum decipere iussi sunt, qui erant adhuc digni hostem decipere. Non enim iam erant idonei quibus diceretur, « Diligite inimicos vestros »; sed tales erant quibus tantummodo dici oporteret, « Diliges proximum tuum, et oderis inimicum tuum ». Adhuc enim ille proximus quam late intelligendus esset, non erat temporis tradere. »

SECTIO TERTIA - DE PERFIDIA

§ I. " Testimonium animae „ seu de asseveratione.

I. *Testificatio in locutione.*

121. Obiectum primum omnis assertionis, ut vidimus, est ipsamet intima loquentis veritas, quoad iudicium quod tenet circa propositionem assertam (n. 86): « Verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, et quidquid secretum in corde gerimus per signa huiusmodi ad cognitionem alterius proferatur » [278]. Primus error directe inductus in audiente per mendacium respicit hanc ipsam « mentem », hunc ipsum « animum » loquentis. Secundario autem tantum, et a consequenti, inducitur error circa obiectum sententiae prolatae.

Sed « unde sciunt, cum a meipso de meipso audiunt, an verum dicam; quandoquidem nemo scit hominum quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est? » [279]. « Loqui homines possunt; videri possunt per operationem membrorum, audiri in sermone: sed cuius cogitatio penetratur? Cuius cor inspicitur, Quid intus gerat, quid intus possit, quid intus agat, quid intus disponat, quid intus velit, quid intus nolit: quis comprehendet? [280].

Revera « quia homo non est cordis inspector » [281], nisi adsit implicita saltem *sponsio* a loquente honesto facta circa statum evidentiae, scientiae, opinionis, dubii vel ignorantiae in sermone prolatum, sententia loquentis certificari nequit ad auditoris cognitionem. Unde patet quod « quisquis aliquid enuntiat testimonium perhibet animo suo » [282],

---

278 S. Augustinus, *De fide et symbolo*, n. 3.
279 *Confessionum*, lib. X, n. 3.
280 *Enarr. in Ps. XLI*, n. 13.
281 *De mend.*, c. 17.
282 Ibid., c. 5. — « Nota... quando Petrus, v. c. mihi dicit, Johannes est mortuus, ipsum non solum mihi significare Johannem esse mortuum, sed etiam se judicare hoc ita esse: seque

et quod omnis assertio « per modum stipulationis accipitur » [283]. Cautio autem seu pignus assertionis constituitur per fidelitatem praesumptam seu « creditum » auctoritatemque loquentis.

Assertio igitur non est communicativa proprii iudicii loquentis per solam *significationem* conceptus mentis et actus iudicii; sermo assertivus non est nisi instrumentum locutionis. Iudicium formaliter communicatur in quantum proximo testificatur *ut* loquentis *proprium*, i. e. in quantum *asseveratur* [284]. Audiens accipit notitiam *ob fidem* quam habet in probitate loquentis, ex qua *assecuratur*. Unde patet quod fidelitas est probitas in loquendo exercita.

Idcirco ad explicite spondendum utimur expressione symbolica, « Je vous donne ma parole », quia locutio effective constituitur per actum essentialem fidelitatis in attestando veritatem absconditam. Ipsum verbum « veritas » exprimit illud fidelitatis exercitium et securitatem inductam circa verbi communicationem [285].

Haec ratio testimonii in assertionibus nostris ut plurimum *implicita* remanet, perinde ac ipsum obiectum primum testimonii, i. e. veritas intima, quandocumque scilicet

---

velle hoc mihi indicare, atque adeo se id de facto facere: hinc facerem eum mendacem, non solum si negarem Johannem esse mortuum, sed etiam si dicerem eum hoc non scire, aut contrarium in animo judicare, aut non intendere hoc mihi indicare, sed solum id fingere. Ex quibus patet.., eum qui mihi aliquid testatur, eadem oratione simul implicite aliquomodo testari, se hoc mihi vere testari. (DE CONINCK, *De Actibus supernaturalibus*, disp. 9, dub. 5, n. 57-58).

[283] S. ALBERTUS M., *Comment. in Mat.*, c. 5, v. 37.

[284] Attestatio proprii animi in loquendo peculiare nomen accepit: « asseverare » (διαβεβαιοῦμαι), Ex *Thesauro L. Lat.* depromimus quod asseveratio distinguitur ab assertione: « Omni tibi asseveratione affirmo, quod mihi credas velim », secundum quod serietatem tribuit assertioni; asseveratio suscipit fictionem: « fictam asseverationem detegunt »; gradu tantum differt a iureiurando: « omnia non asseveratione propria, sed divinis testimoniis confirmant »; medium autem formale mendacii constituit: « ... qui se filium Persei ingenti asseveratione mentiretur ».

[285] Vide sis apud ERNOUT-MEILLET, *Dict. étym. de la langue latine*, WALDE, *Lat. etym. Wörterbuch*, connexiones inter « verus », « wahr », « vereor » et fidelitatem (bewähren) etc.

sententia in stylo qui dicitur « directo » profertur, e. g. « Pluit », « Forsan pluit ». Testimonium remanet implicitum etiam in stylo simpliciter indirecto, in quo veritas intima formaliter profertur: « Certus sum quod pluit », « Opinor quod pluit ». Formaliter autem enuntiatur testimonium in locutione reduplicativa: « Dico tibi... ». « Credas mihi... », « Profiteor... », « In veritate... », etc.

II. *Testificatio in vita humana.*

122. Tanti momenti est haec ratio testimonii in vita humana, ut definitioni hominis in genere naturae, tamquam « animal rationale », aequivaleat definitio hominis in genere moris tamquam « testis veritatis ».

Iam quidem in ipso cordis sui verbo, in prima cognitionis suae intima emicatione, homo quodammodo testem agit; unde cognitiones humanae vocantur « categoriae », et res ab hominibus cognitae similiter « causae » vocantur, mutuatis verbis a sermone forensi. At in ipso intellectu iudicante homo non est liber, sed necessarius testis illius veritatis intellectualis, quam non intuitive, licet evidenter, possidet.

Sed praeter hanc intimiorem necessariamque testificationem, de qua non habemus hic ulterius indagare, considerari debet in homine *moralis* testificatio veritatis in verbo suo *libero;* et hoc tum in verbo suo *interno,* in quantum veritatem contra propriam conscientiam a consequentiis suis theoricis et practicis non prohibet, sed promovet; tum in verbo suo *externo* seu enuntiante, in quantum iudicia sua prudenter et fideliter manifestat.

Hanc externam verbi prolationem — siquidem pertinet ad verum proximo notificandum — prosequitur specialis virtus *veracitatis.* Veracitas, de qua superius egimus, est generalis virtus moralis veritatis, prout in sermonibus exercetur intuitu fidelis locutionis proferendae. Sermones igitur nostri non sunt formaliter veraces, i. e. intenti in se ad verum proximo communicandum, nisi praeseferant, seu

manifestent in obliquo, et profiteantur *veritatem internam moralem*, quae nos fide dignos reddit circa propriae sententiae manifestationem. Ex quo patet quod sermo duplicem praesefert veracitatem, aliam ut *signum* est, aliam ut *expressio* est, ex una parte scilicet, veracitatem obiectivam, in quantum natus est audienti verum significare; ex altera parte, veracitatem subiectivam, in quantum exprimit loquentem ut testem fide dignum.

III. *Voluntarietas testificationis.*

123. Attendendum ergo est quod actus testificationis est actus *formaliter voluntarius*. Etenim, ad differentiam *ostensionis* et demonstrationis, quae sunt actus mere imperati a voluntate, certificatio testimonialis est actus in quo voluntas formaliter, i. e. de suo proprio, intervenit, exercendo se in ordine ad alterum, ad supplendam inevidentiam veritatis rei communicatae; voluntas testificantis locum assumit deficientis necessitatis intellectualis per actum seu intentionem suam *sanctitivam;* sanctio hic (sensu generaliori accepta) inducit necessitatem quandam legalem circa donum per se liberum; unde indicat intensiorem gradum voluntatis ad extra conversae; quo sensu intelligimus quod Deus nos non quomodocumque amat, sed sancte amat, et per modum iuramenti nobis communicat revelationem suam.

Ille qui testimonium perhibet, tribuit honorem suum, seu personam suam, in pignus veritatis; donat personam propriam simul cum dono sententiae prolatae; ligat enim seipsum, ut nomen, seu « faciem », ut aiunt, amittat, si non sit verax.

Certificatio proinde non est habenda ut actus externus seu imperatus voluntatis, nisi prout signis sensibilibus manifestatur; in se autem constituit actum elicitum voluntatis in alterum ordinatae, sicut imperium, postulatio et similes actus; et secundum hoc mendacium, ut observavit

S. Bonaventura, est peccatum *intentionis*, malum formaliter subiectatum in voluntate (cfr. n. 39).

In operatione spirituali locutionis primum igitur distinguendus est actus intellectus exprimentis sub imperio voluntatis, et actus elicitus voluntatis veritatem communicantis. In actu autem elicito voluntatis distingui ulterius debet intentio communicativa, et (quod formalius pertinet ad locutionem) attestatio animi proprii, i. e. asseveratio, quae se habet ut sanctio communicationis, et velut species ad genus in intentione loquentis. Patet autem quod voluntas a rectitudine deflectere potest tum in actu imperativo, tum in actu communicativo, tum in actu attestativo. Deordinatio proprie constitutiva mendacii se tenet a parte actus attestativi.

IV. *Auctoritas testificationis.*

124. Agentes autem de frustratione, iam in genere indicavimus (n. 105) quod obiectum fiduciae audientis est valor humanus loquentis; fides praestatur loquenti, quia personaliter honestus seu honorabilis aestimatur. Oportet nunc penitius examinare in quo consistat valor ille personalis, i. e. substantia ipsa fidelitatis et credibilitatis; aliis verbis, in quo constituatur *auctoritas loquentis*.

Fides quidem, in affectu suo proprio considerata, est securitas moralis obtinendi bonum vel verum ab aliqua persona. Cum enim persona naturaliter habeat experientiam et aestimationem veri horroremque falsi [286], expectari potest a viro bono (i. e. a persona perfecta) quod sit libere communicativus veri; non enim, sicut animal, *sibi* tantum intendit ea quae intendit, sed ordinate simul absolute vult bonum et verum, nempe propter seipsa, independenter a particulari subiecto possessore; ergo et aliis naturaliter

---

[286] « Beata quippe vita est gaudium de veritate... Hanc vitam beatam omnes volunt, hanc vitam quae sola beata est, omnes volunt, gaudium de veritate omnes volunt. Multos expertus sum qui vellent fallere, qui autem falli, neminem. Ubi ergo noverunt hanc vitam beatam, nisi ubi noverunt etiam ve-

ea intendit, secundum spiritum iustitiae [287]. Non ergo expectatur verum a persona solummodo quando *debetur*, sed ut tribuendum spontaneo etiam et libero motu. Hoc tamen bonum non *certificatur*, nisi persona profiteatur hoc se bonum communicaturam, si futurum est, aut actu communicare, si intimum et absconditum. Non enim possumus expectare ab aliqua persona veri prolationem sicut expectamus a legibus naturae messem temporaneam; persona qua talis et physice et moraliter libera est in vero communicando; siquidem non determinatur ad volendum verum nisi in universum; minime vero determinatur ad vera particularia, qualia sunt ea quae communicantur ad extra. Consequenter *possumus* expectare verum ab aliqua persona, sed non certificatur communicatio, ut de ea *securi* simus, per hoc tantum quod capax est, aut etiam inclinata ad dispensandum: ad fidem enim requiritur non solum possibilitas recipiendi, sed certitudo assecurationis.

Haec securitas nititur *auctoritate* locutionis, quae commensuratur honori personali loquentis. Ille autem honor non consistit in eo solum quod aliquis omnia officia debita implet, sed maxime in eo quod bonum, etiam liberaliter intentum, *constanter* operatur [288]. Haec constantia personae, seu cohaerentia secumipsa in eo quod agit, formaliter respondet *legi* personae qua talis, et ipsissimae rationi virtutis. Personae enim est, nisi depravetur, agere quod agit, exsequendo proposita, perficiendo incepta; non praetendit nisi quod reapse intendit, non manifestat, nisi quod experitur, non exprimit, nisi quod sentit; unde et quod attestat eo ipso certificatur ut existens, quantumcumque libere fuerit attestatum et inevidens remaneat secundum se. Hoc

---

ritatem? Amant enim et ipsam quia falli nolunt... Cur autem veritas parit odium,... nisi quia sic amatur veritas, ut quicumque aliud amant, hoc quod amant velint esse veritatem: et quia falli nolunt, nolunt convinci quod falsi sint?» (*Confessionum*, Lib. X, c. 23, n. 33 s.

[287] Cfr. *Qu. de Virtutibus in communi*, a. 5.

[288] «Et quidem in aliis principibus si quando verbum levitatis aut etiam falsitatis deprehendimus, nec novum, nec mi-

ipsum fundamentum fidelitatis (non formalem eius rationem) assignat S. Augustinus, quando alludens ad etymologiam suo tempore vulgatam, observat quod « ipsa fides in latino sermone ab eo dicitur appellata, quia *fit quod dicitur* »[289].

Cogitatio loquentis, seu bonum communicandum, est obiectum materiale fidei auditoris; et minimi quidem valoris esse potest in seipsa; sed obiectum formale huius fidei est personalis valor seu honestas loquentis in eo quod radicitus maximeque eidem pertinet, scilicet, quod fide dignus sit ob spiritualem constantiam. Ex hoc suo obiecto formali determinatur valor moralis fidei audientis, et fundatur ratio malitiae perfidiae mentientis, qui tali fide abutitur in mentiendo. Patet ergo quod fidelitas, licet distinguatur ab officiis iustitiae, religionis et amoris in proximum, non est indefinita quaedam honestas, sed undecumque plene specificata[290].

---

rum reputamus. At vero apud Comitem Theobaldum *Est et Non* nequaquam omnino patienter audimus; et cui, ut dicitur, simpliciter dicere iurare est, et leve mendacium grave periurium imputatur. Inter plurima quippe virtutum insignia, quae vestram plurimum nobilitant dignitatem, et vestrum per orbem clarum reddunt et celebre nomen, praecipue laudatur in vobis veritatis *constantia* ». (S. Bernardus, *Epist. XXXVIII*, n. 2).

289 Epist. LXXXII, n. 22. Plura de hoc argumento dicentur in parte tertia.

290 « *Fides* (secundum quod ex debito morali procedit) est specialis virtutis moralis nomen: significat enim virtutem illam qua homo bene se habet ad alterum in hoc facit ut dixit, in his ad quae non tenetur ex debito legali, sed morali tantum. Actus namque iste humanus bonus moraliter est, specialem habens laudem, ex hoc ipso quod facit quod dixit, servata debita materia et circumstantiis; et ad alterum est; nec ex debito est civili (unde non potest cogi a iudice si non facit quod dixit), sed ex debito morali procedit sine quo moris honestas non salvatur; nam violando fidem, non restat moris honestas, ut patet. Et propterea exigit specialem virtutem, adiunctam iustitiae ». (Caietanus, In 2am 2ae, q. 113, a. 2, IV).

§ II. De perfidia mentientis.

I. *Violatio fidelitatis.*

125. Ostenso quod attestatio constitutiva locutionis est actus elicitus ipsius *voluntatis*, et quod actus ille est formaliter actus *virtutis*, duas priores condiciones malitiae intrinsecae mendacii, superius indicatas (n. 41), adimpletas iam habemus. Ex his enim sequitur quod vitium essentiale locutionis erit formale vitium ipsius voluntariae intentionis: et vitium quidem formaliter immorale, quoniam oppositum virtutis in specie sua.

At cum non quilibet defectus moralis habendus sit ut absolute irreformabilis (n. 39), seu ut *essentialiter* irrationalis, sed ille tantum, qui *violationem* virtutis constituit, eidemque proinde per *contrarietatem* opponitur, superest ostendere in falsa attestatione commissa a mentiente inesse *abusum* formalem fidei, ideoque fidelitatis violationem [291].

Fidelitas quidem in eo obiective consistit quod fidei convenienter respondeatur, absque frustratione fidentis. Infidelitas proinde, in genere sumpta, in eo habetur quod fidei qualicumque modo *insufficienter* respondeatur, cum frustratione fidei. Perfidia autem consistit in abusu fidei contra fidentem, in damnificando fidentem ratione fidei suae. Perfidia secumfert detrimentum ob fidem intentum.

Dicimus autem quod mendacium magis continet quam meram *absentiam* fidelitatis, qualis est in illo qui simplex *propositum* non servat, — magis etiam quam meram *carentiam* fidelitatis, qualis in illo qui *promissionem* non servat, — magis quam *contradictio* fidelitatis, qualis in illo qui *ficte promittit;* etenim cum mentiens, ut subito ostendetur, fidem simul evocet ac decipiat, immo evocet *ut* decipiat, *perfidiam* exercet, id est *contrarium* ipsum fidelitatis, quod quidem

---

[291] Ad intrinsecam malitiam requiruntur, 1° formalis voluntarietas, 2° essentialis irrationalitas. Ad essentialem autem irrationalitatem requiritur, a) oppositio actui virtutis, b) et oppositio formalis quidem, i. e. per contrarietatem.

in nulla suppositione excogitabili per quodvis accidens reformari potest ad rationabilitatem. Ex quo mendacium recte consideratur ut prototypus infidelitatis. « Abominatio est Domino labia mendacia; qui autem fideliter agunt placent ei ». (*Prov.* 12, 22).

II. *Pactum in locutione.*

126. Promissio quidem secundum se est actus unilateralis; actuatur enim independenter a fide promissarii: sive credat iste promittenti, sive non credat, promissionem accipit, et fas illi est urgere eius adimpletionem.

E contra locutio est essentialiter *bilateralis* in actu suo, et socialis quaedam cooperatio; locutio praesupponit *activam* acceptationem audientis [292], activam nempe participationem, communicationi correspondentem [293]; si non attenditur locutioni, loquens non loquitur, sed aërem verberans mere clamat. Audiens autem non accipit sententiam ut veracem, nisi *credat* loquenti veracitatem propriam in attestatione profitenti; requiritur ergo actus fidei positivus intentionalis, consensus in communicationem accipiendam, sine quo (saltem a loquente supposito) locutio remanet actus *inanis*. Fides ergo audientis est *medium* formaliter indispensabile verbalis communicationis. Proinde quisquis loquitur, sciens quid agat, eo ipso implicite vult ut sibi credatur; nisi ioco sermocinetur, appellat ad fidem audientis tamquam ad elementum intrinsecum suae asseverationis, utpote actus intrinsece socialis *pactionis*, sicut ille qui vendit supponit emptionem, et qui tradit ius in corpus in contractu matrimoniali supponit acceptationem, sine qua nihil factum est, sed frustra tantum oblatum.

Loquens igitur non tantum fidei respondet, sed *appellat* ad fidem, et ad fidem utique quam rationalem, sibique ex

---

292 Unde est quod peccatum committit ille qui maledico sermoni attendit.

293 « Credunt mihi quorum mihi aures caritas aperit ». (*Confessionum*, lib. 10, n. 3).

honestate debitam, considerat; hanc fidem postulat, eo ipso quod serio loquitur, etiamsi compertum habeat eam sibi denegari; profitetur enim discredentes sibi inepte saltem, aut iniuriose etiam, sibi discredere. Quae quidem omnia nisi adsint, saltem implicite, locutio sensum non habet, sed vacua tantum sermocinatio exercetur.

III. *Perfidia intrinseca.*

127. Ille ergo qui mentitur necessario postulat fidem, ut mediante fide fidentem decipiat circa ipsum fidei suae obiectum. Hunc actum, si ullum, perfidiam nominare oportet; violentia quippe exercetur contra fidem proximi, et violatur proprium officium fidelitatis; quidquid adiungatur sibi, mendacium perfidum remanet; et cuicumque fini subordinet mendacium suum, perfidiam intendit qui mentitur. Decipit fidentem, prudenter virtuoseque fidentem, et in eo ipso quod fidit; fides usurpatur in detrimentum fidentis; auditor mendacii fit victima propriae fidei; malum ob morale bonum recipit: quo sane ex integro pervertitur ordo rationalis. Actus voluntarius hanc deordinationem inexcusabilem et irreformabilem intendens est absolute malitiosus, utpote deceptivus ob fidem.

« Nemo enim mentiens, in eo quod mentitur, servat fidem; nam hoc utique vult, ut cui mentitur fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat: omnis autem *fidei violator* iniquus est » [294].

« Pertinet ad ipsam naturam rationalem, et eius dignitatem haec totalis et universalis impotentia licite mentiendi, vel falsum testificandi, ut possit esse integra fides mutua inter homines,atque adeo, quod Deus non possit in hoc cum homine dispensare. Quare licet Deus possit naturam humanam destruere, et eius perfectiones, non tamen potest illam condere sine

---

[294] *De doctrina christiana*, lib. 1, n. 36. Cfr. TERTULLIANUM, *Adv. Praxeam*, cap. 11: « ... Veracem Deum credens scio illum non aliter quam disposuit pronuntiasse, nec aliter disposuisse quam pronuntiavit. Tu porro eum mendacem efficias et fallacem *et deceptorem fidei* huius, si... ».

sua perfectione essentiali et radicali, ad quam spectat haec universalis impotentia falsum licite testificandi » [295].

IV. *Definitio mendacii.*

18. Ex dictis iam in promptu est mendacium definire. Plures definitiones aequivalentes proponi possunt, altera « locutio deceptiva », perfectior, quia concreta et specifica; altera « deceptio perfida », formalior, sed nimis abstracta; altera « locutio dolosa », vel « lingua dolosa », etc., obscurior, sed magis descriptiva et integra. Nihil impedit quominus mendacium definiatur ut « locutio perfida »; attamen ratio fidei iam implicite continetur in ratione completa locutionis; unde quadantenus redundans videtur haec definitio et tautologica; facile etiam insinuaret intentionem finalem perfidiae, quae supervenit mendacio potius quam inest eius essentiae (cfr. n. 53); multi enim mentiuntur — formalem perfidiam in hoc exercentes — quin perfidiam propter se intendant. « Deceptio perfida » non praecise definit mendacium, sed potius explicat rationem moralem mendacii, locum ei assignando in categoriis ethicae. In definitione « locutio deceptiva », si attendatur ad rationem locutionis, omnia specifica elementa mendacii ordinate ponuntur, et valet de omni et solo mendacio; defectus ei inest quod genus ponitur post differentiam specificam (implicitam in « locutione »); at adjectivum « deceptivum », usurpatum potius quam substantivum « deceptio », indicat necessarium non esse ad essentiam mendacii quod mentiens effective succedat in decipiendo, sed sufficit actus natus decipere. Nihil tamen impedit quominus seligatur « deceptio verbalis », si quibusdam praeplacet. Definitio « locutio dolosa » multa pro se habet, praesertim quod haec ratio mendacii saepius exhibetur in S. Scriptura. Insuper, si quis attendit ad notionem doli supra, n. 109, indicatam, patet quod haec definitio, implicite saltem, exhibet utrumque aspectum mendacii; dolus enim non est sola

[295] Lugo, *De virtute fidei divinae*, disp. 4, s. 4, n. 60.

simulatio, sed « aliud agere, aliud simulare »; ergo in hoc quod est « aliud agere » insinuat deceptionem (eo magis quod dolus communius intelligitur de machinatione deceptionis), et in hoc quod est « aliud simulare » attendit ad rationem subiectivam mendacii, potius quam ad rationem obiectivam et specificam. In summa, « locutio dolosa » est optima moralis *descriptio* mendacii.

Satius erit nullam ex hisce definitionibus excludere; non nimiae erunt ad explicationem et recapitulationem doctrinae de actu quodam humano complicatissimo, utut, proh dolor! frequentatissimo.

Libentius tandem plurimi, nec sine ratione, attendentes perfidiam intrinsecam corruptae locutionis, sibi retinebunt traditionalem mendacii definitionem, scilicet « locutio contra mentem », utpote non omnino, satis tamen, descriptivam (cfr. n. 6), nec omnino implicitam, ideoque relative magis satisfacientem.

§ III. Discriminatio perfidiae.

I. *Limites fundamentales violationis fidelitatis.*

129. Ex dictis sequitur quod *non* omnis sermo fallax necessario constituet mendacium proprie dictum, quod est per modum falsae attestationis. Et sic positionem sumimus respectu quaestionis sequenti modo determinatae a S. Augustino:

« De falso testimonio... nullo modo quidem contendi potest dilectionem veritatis in corde servandam, et proferendum falsum ad eum apud quem dicitur testimonium. Cum enim Deo tantum dicitur, tunc tantum in corde veritas amplectenda est: cum autem homini dicitur, etiam ore corporis verum proferendum est; quia homo non est cordis inspector[296].

Sed plane de ipso testimonio non absurde quaeritur apud quem quisque testis sit. Non enim apud quoscumque loquimur, testes sumus, sed apud eos *quibus expedit et debetur per nos*

[296] Cfr. n. 75.

cognoscere aut credere veritatem: sicuti est iudex, ne in iudicando erret; aut qui docetur doctrina religionis, ne erret in fide, aut ipsa doctoris auctoritate dubius fluctuet.

« Cum autem ille te interrogat, aut vult ex te aliquid nosse, qui eam rem quaerit quae non ad eum pertineat, aut quam ei nosse non expedit, non testem, sed *proditorem requirit*. Itaque si ei mentiaris, a falso fortasse testimonio alienus eris, sed a mendacio profecto non eris.

« Salvo igitur eo quod *falsum testimonium dicere nunquam licet, quaeritur* utrum liceat aliquando mentiri » [297].

Aliis verbis, concesso quod mendacium proprie dictum est intrinsece malum, quaeritur utrum ratio habenda sit sermonis fallacis, in quo sane insint fallacia, deceptio, simulatio et fictio (satis utique ut quivis eum detestetur!), at non malitia illa *intrinseca* unde tamquam licitus nunquam esset habendus.

Nunc autem determinate investigamus exclusionem perfidiae a sermone fallaci.

Si locutio, ut ostensum est, medullitus constituitur per exercitium fidelitatis, locutio pariter et corruptio locutionis *iisdem limitibus* fundamentaliter circumscribuntur, quibus ipsa *virtus fidelitatis* in applicatione sua limitatur. Et ideo defectus fidelitatis in genere, et in specie perfidia, occurrere nequeunt nisi ubi relationes fidelitatis obversantur. Quandocumque igitur relationes fidelitatis suspenduntur, deordinatio sermonis fallacis eximitur a malitia perfidiae, saltem obiective. Sublata asseveratione, seu *anima* locutionis, non superest nisi sermo, quasi mentis interpres, velut *corpus* locutionis. Unde non inepte quidem introducunt rationem « locutionis materialis », licet expressio contradictionem sonet in terminis.

II. *Casuistica fallaciae non perfidae.*

A) *Locutio illicita.*

1° *Principium.*

130. Primus et praecipuus casus considerandus est de

297 *De mend.*, n. 36. Notandum est quod S. Augustinus minime reducit mendacium ad frustrationem debitae veritatis; li-

locutione illicita. Sicut enim iuramentum assertorium vitiatur non solum si ei deficiat veritas, sed etiam si « iustitia et iudicium » in eo posthabeantur, ita locutio vitiatur non solum si fallax sit, sed et si undecumque fuerit illicita, e. g. si ei deficiat prudentia discretionis, caritas etc. [298].

Absolute autem repugnat ordini obiectivo quod aliquis per legem virtutis adigatur ad actum irrationalem, qualis esset proditio veritatis ex officio celandae, diffamatio illegitima, etc. De fidelitate quippe valet id quod de ceteris virtutibus notat S. Augustinus: « Neque prudentia, neque fortitudine, neque temperantia male quis utitur: in his enim omnibus, sicut in ipsa etiam ... iustitia, recta ratio viget, sine qua virtutes esse non possunt. Recta autem ratione male uti nemo potest » [299]. Fidelitatis igitur malus usus a viro honesto et prudenti non est expectandus; ideoque obiectum esse nequit fidei virtuosae; nec ad talem usum malum poterit aliquis cogi in conscientia obiectiva. Virtus fidelitatis nunquam adstringet conscientiam ad directe cooperandum actui iniusto per communicationem notitiae eidem actui necessariae nec ad detrectandum proximo, vel ad perniciem proximi Deive offensionem procurandam.

2° *Tacita veracitas.*

131. Facile autem continget quod *silentium,* effective, immo *formaliter,* aequivalebit illicitae proditioni veritatis celandae. Ex eo enim quod, « Qui tacet, consentire videtur », nonnunquam occurrit quod si quis interrogatus deneget responsionem, vel silentium servet, prodet veritatem; sicut si honestus homo determinate interrogetur: « Accessitne talis ad te? », secundum circumstantias silentium suum adimplentes, sensum eius determinando (cfr. n. 73), intelligetur fateri vel diffiteri, si taceat nolitve respondere. Intelligitur enim ille ab interrogante ut ligatum se sentiens,

---

cet « debitum » (quocumque titulo) veritatis ut fundamentale elementum discriminandae malitiae mendacii consideret.

[298] Cfr. CAIETANUM, In 2am 2ae, q. 113, a. 2, IV.

[299] *De libero arbitrio,* lib. 3, c. 18.

per habitualem professionem veracitatis, ad *non dicendum falsum;* intelligitur proinde ut exercens *negative* professionem suam veracitatis *tacendo,* ne aut prodat verum aut falsum proferat; plana igitur est inductio illi qui determinatam interrogationem posuit, novitque circumstantias silentii.

3° *Assertio falsa, non asseverata.*

132. Cum ergo, in tali casu, fidelitas adduceret ad *tacitam locutionem illicitam,* quae quidem non aliter prohibetur atque expressa locutio illicita; compensativa autem peccata formalia in ordine obiectivo locum non inveniant (cfr. n. 45); solaque proinde via ad avertendam illam illicitam locutionem sit plana aliqua negatio veritatis, i. e. *assertio falsa non asseverata,* superest agnoscere quod relationes fidelitatis hic et nunc iure habendae sunt ut suspensae, nec iam magis obligant quam relationes exortae ex contractu de obiecto inhonesto. Unica tunc evasio locutionis illicitae, scilicet sermo fallax, i. e. assertio ex circumstantiis determinata ut merus sermo, non erit mendacium proprie dictum, per perfidiam constitutum; nec erit formale peccatum ex ratione sua. Suspensa locutione ex toto genere suo, per sublationem officii fidelitatis, non superest suppositum corruptioni locutionis. Non locutionem fictitiam (fictio in re), sed fictionem habes locutionis (fictio rei). Cfr. n. 108.

Fallit semetipsum ille qui de talibus materiis interrogat, si directum responsum verax expectat ab honesto prudenti homine. Ergo si decipi ei contingit ex fallaci sermone, non decipitur ex ipsa fide, sed ex errore suo. Non defraudatur. Non decipitur deceptione illa formaliter immorali, quae perfidiam specificat in locutione eam causante.

Ergo quando non sufficit tacere ad vitandam proditionem, aut aliquibus ex receptis formulis uti ad responsionem civiliter velateque evadendam, nec efficax evasio non fallax (n. 78) menti occurrit, superest ut inter vitia-

tam, utut veracem, locutionem illicitam, et necessarium sermonem fallacem non illicitum, hoc ultimum, quantumcumque affectui sinceri cordis repugnet, in mensura minima possibili eligatur.

Asseveratio tunc fictitia est, fictione testimonii; testimonium enim non adest; perinde ac statuitur in similibus circumstantiis de fictione iuramenti. Fallacia autem (supposito quod reapse damnosa sit proximo) non est imputanda ipsi sermoni, qui fallax non est nisi per accidens; per se autem causatur ab indiscreta credulitate et curiositate interrogantis. Auditor non decipitur a respondente, sed a propria inadvertentia, supposito quod bona fide interrogasset; interrogat enim de iis de quibus interrogandum non erat.

Si tamen ille qui respondet excedit in responso suo limitem minimi erroris necessarii ad discretionem tuendam, pro tanto recidit in mendacium proprie dictum. Minimus autem error, in talibus contingentiis, ut plurimum practice erit *professio ignorantiae;* nisi usu contingat responsum « Nescio » ita iam transiisse in urbanum modum denegandi responsionem, ut necessarium fiat positivam fictionem sententiae subito elucubrare. Prudentioribus tamen viae generatim in concreto patebunt ad omnem fallaciam omnemque proditionem vitandam; sed non omnibus hoc datum est. Notandum tandem est quod casus, qui excogitantur, impossibilis veracitatis semper in abstracto ponuntur, ideoque incomplete reales sunt[300].

---

[300] « Es gibt Menschen, die sich darin gefallen, komplizierte Situationen auszuklügeln, in denen eine Lüge durch Vernunft und Liebe absolut geboten scheint. Sieht man näher zu und hört man auf, die einzelne Situation aus dem zusammenhange des Lebens zu reissen, so sieht man in den allermeisten Fällen, dass sich die Lüge sehr wohl umgehen lässt, wenn man nur beachtet, dass Wahrhaftigkeit und Roheit durchaus nicht zusammenfallen brauchen, und dass sich für einen nachdenklichen und zartfühlenden Menschen immer ein Weg findet, Aufklärung und Erbarmen zu vereinigen ». (Fr. W. Foerster, *Lebensführung,* Berlin, 1909, p. 83).

4° *Applicatio solutionis apud S. Thomam.*

133. Solutionem hic propugnatam, implicite saltem et in concreto, patrocinari nobis videtur S. Thomas, ubi docet sacerdotem interrogatum de auditis in confessione posse *testificari se nescire* « quod scit tantum ut Deus »[301], seu, ut rectius forsan dicet in *Summa*, circa affine argumentum, « tamquam Dei minister »[302].

Hic autem manifeste edoctam habemus liceitatem sermonis effective saltem fallacis, ad servandum secretum obligatorium. Solutio autem extendi potest ad alia secreta, siquidem de secretis etiam simpliciter commissis ibidem in *Summa* notat S. Thomas quod neque ad obtemperandum praecepto superioris prodenda sunt, « quia servare fidem est *de iure naturali*: nihil autem potest praecipi homini contra id quod est de iure naturali ». Principium autem magni momenti, ut nobis videtur, per transennam dicto loco in *Sententiis* inculcat, principium nempe attentionis ad *personam loquentis*, distinguendo ex quanam persona, Dei hominisve quis respondeat; et sic medium prudens et simplex profert servandae veracitatis « per se » sententiae responsoriae; si quis enim advertat illi distinctioni seu abstractioni personarum, poterit attendere huic quod nescit in quantum homo, vel in quantum amicus interrogantis etc., scit autem tantum ut secreti depositarius; praesumit autem interrogantem honestum non interrogare et tentare secreti depositarium. Unde sententia ex « per se fallaci » exinde iam fit per se verax. Practice recidimus in solutionem restrictionis mentalis quam vocant late sumptam, at *regulatam* principio superiori ipsam explicante, iustificante et restringente. (Cfr. n. 73 ss.).

Patet etiam quod dicta restrictio late mentalis, seu attentio mentalis ad « personam » quam aliquis induit dum loquitur, non est indispensabilis ad ipsum formale peccatum mendacii vitandum, sed consulenda sapientioribus, ad

---

301 *In 4. Sent.*, d. 21, q. 3, a. 1, ad 3m.
302 2a 2ae, q. 70, a. 1, ad 2m.

perfectius salvandam veracitatem saltem materialem in evasione proditionis.

5° *Diiudicatio materiae fidelitatis.*

134. Non est cur hic determinandum assumamus quando secretum potius quam locutionem fideliter asservare debeamus. Sed potius notare iuvabit, in casu obligationis ad notitiam tegendam ex simplici secreto commisso, quomodo *apparens exceptio* in normis fidelitatis in loquendo servandae non sit exceptio respectu *ipsius regulae fidelitatis* in se sumptae. Etenim in utroque casu agitur de « commisso » tuendo, seu de obiecto fidei asservando; fidelitas in loquendo (*Wahrheit*) exercetur respectu fidei audientis, qui *seipsum* secundum quid instruendum loquenti *committit,* dum notitiam ab eo accipit; fidelitas autem in tegendo secretum commissum (*Bewahrung*) item exercetur respectu fidei illius qui seipsum in secreto suo commisit. Ergo eadem *formalis* fidelitas unica secundum se utrobique exercetur, licet diverso modo, seu potius diversae materiae applicata. Forma autem « in unoquoque potior est quam materia » [303]; sicut amor proximi est, qui per se exercetur a milite hostes patriae interimente.

Id autem quod de formali fidelitate dicitur a fortiori extenditur ad fidelitatem *transcendentalem* respectu legis et gloriae Dei, quae libertati nostrae asservandae committuntur; unde ille qui sermonem fallacem admittit tamquam unicum modum evitandae iniustitiae aut periurii, fidelitatem exercet *constantiae* moralis, quae elementum constituit iustitiae morum: « constantia ... facit firmiter persistere in bono contra difficultatem quae provenit ex quibuscumque exterioribus impedimentis » [304].

Minime ergo agitur de *praevalentia* hierarchica determinanda alicuius officii supra aliud officium, sed de elimi-

[303] *Sum. theol.*, 2a 2ae, q. 137, a. 2, ad 1m.
[304] l. c., a. 3.

natione illusorii officii fidelitatis ex diiudicatione carentiae materiae suae [305].

B. *Responsio coacta.*

135. Nunc vero quaeritur de illo qui *non obligatur* quidem ad notitiam, de qua interrogatur, celandam, at *rationabiliter invitus* invenitur quominus notitiam communicet, puta ob incommoda sibi exinde incurrenda.

In plerisque circumstantiis sane sufficiet silentium, vel denegatio responsi, vel responsio evasiva non fallax in se, ut efficaciter tegatur notitia legitime celanda. Quid vero faciendum si in his circumstantiis iterum inveniatur, in quibus silentium et similia aequivaleant detectioni notitiae?

1° *Interrogatio simpliciter indiscreta.*

Supponamus primum quod *bona fide,* i. e. absque insidiis, interrogatio facta fuerit.

Dicendum tunc, cum Caietano, quod morum honestas non exigit ut gratuita fiant coacte [306]. Locutio autem intelligitur operatio *spontanea* ex genere suo; obiective igitur nequit aliquis rationabiliter cogi ad loquendum. Supposito proinde quod non obligetur (puta ex superveniente titulo iustitiae aut religionis) ad loquendum, *coactio* quae practice tollit characterem suum gratuitum a professione veracitatis, tollit et morale eius debitum fidelitatis; sublata autem occasione fidelitatis, eo ipso recedit occasio violationis fidelitatis seu perfidiae; proinde culpam *ipsius perfidiae* certo non incurrit ille qui fallacem tunc sermonem admiserit, reductum sane ad strictum minimum hic et nunc

---

[305] « Incidunt saepe tempora, quum ea, quae maxime videntur digna esse iusto homine eoque, quem virum bonum dicimus, commutantur fiuntque contraria, ut reddere depositum, facere promissum, quaeque pertinent ad veritatem et ad fidem, ea migrare interdum et non servare fit iustum ». (CICERO, *De officiis,* I, 10, 31).

[306] In 2am 2ae, q. 113, a. 2, IV.

necessarium revelationi vitandae, e. g. ad aequivocationem per se attendibilem, indeterminatum pro determinato respondendo (n. 79 ss.).

Licet autem ille culpam formalem et intrinsecam malitiam mendacii non admiserit, praetulit nihilominus in aestimatione sua incommodum proprium vitandum vitandae dehonestationi materiali sermonis fallacis; sicut si aliquis amissionem corporeae castitatis (cfr. n. 47) amissioni integritatis membrorum praetulisset; ideo in casu *aliquid* culpae mendacii retinuit, utut non illud quod in mendacio est intrinsece malum. Unusquisque sentiet illum saltem *minus honeste* egisse, nec decorose sane, seu honorabiliter, nec sapienter. Haec absentia ipsius perfidiae forsan implicite attenditur ab illis qui in praxi indulgenter excusant imperfectos, necnon illos quibus moralis educatio defuit, si solum in casibus vitandi proportionati periculi ex compulsione ad loquendum illati moderatam fallaciam in sermone suo admisceant; ceteroquin, in ceteris circumstantiis, prorsus veraces existentes. *Spontaneam* autem locutionem fallacem ad periculum damnumve vitandum sola perturbatio mentis a perfidia mendacii exculpare quadantenus poterit.

Et probe notandum est, ex superius dictis de pravitate materiali, quod pro quanto quis sermonem fallacem admittit, etiam licitum, absque integra displicentia fallaciae, deceptionis, duplicitatis et astutiae, formale peccatum admittit ex affectu pravo; quod utique semper occurret si quis abutatur propositis exceptionibus ultra strictum suum modum. Et generatim occurrentia habenda erit ut occasio peccati. (Cfr. n. 32).

2° *Interrogatio astuta.*

136. Hucusque supposuimus interrogationem indiscretam, aut saltem invitam, fieri bona fide; ideoque, licet fides proprie dicta, quae virtus est, non adsit, *fiducia* tamen genuina honestae responsionis accipiendae in interrogante

vigeat; quam quidem fiduciam sermo fallax *decipit*, licet non perfide.

Sed ab interrogatione simpliciter indiscreta distinguenda est *interrogatio astuta* et fraudulenta. Interrogatio astuta est illa in qua interrogans revelationem notitiae, quam comperit sub secreto tegendam, quamque scit interrogatum virum sponte non proditurum, extorquere satagit per insidias, e. g. ex haesitatione respondentis, vel ex eius commotione, aut ex imprudentia eius, simpliciori nempe eius sensu honestatis abutendo.

In quo quidem casu iam non solum desunt relationes fidelitatis essentiales locutioni, deceptioni fallaciaeque formali. Interrogans enim hostiliter, saltem quoad hoc, et aggressive procedit ad interrogatum; quamquam igitur lex christiana non sinit hostilitatem hostilitate rependere, nec fraudem fraude compensare, permittit tamen ut quis mediis aptis non in se inhonestis, semoto affectu inimicitiae, se defendat.

Quodsi igitur interrogatus advertat silentium suum, aut denegationem responsi, immo aut moram ullam in respondendo, simplexve « nescio » hic et nunc aequivalere proditioni notitiae servandae sive ex obligatione sive ex legitimo desiderio, relinquitur ut, attendens abesse condiciones tum locutionis, tum etiam communicationis et formalis veraciae, *fingat* ipse locutionem (i. e. fingat se loqui, cum extra condiciones loquendi se esse sciat) [307], si valet, et illud (etiam toto textu adinventum) sermone proferat, quod necessarium aestimat ad notitiam secure tegendam. Non enim tunc censetur loqui, sed voces edere, quasi declamando. Haec utique non est simplex evasio (illa scilicet quae per veritatem divertit attentionem) sed *fabulosa evasio*. Insuper modus hic agendi implicat *astutiam;* sed astutia differt a mendacio proprie dicto, sicut statua differt a cadavere in genere non-viventium. Attamen et astu-

---

[307] Cfr. n. 108.

tia, ut subinde videbimus, non sine repugnantia nec ultra modum inevitabilem admittitur a viro honesto, cui omne falsum, sive in mente, sive *in opere* admissum displicere natum est.

At nec deceptionem, nec fallaciam formalem admisit, sed illam tantum quae per accidens dicitur, si interrogans nempe non advertit se fabulâ illudi (n. 68).

Quodsi ille qui dicto modo insidiose interrogatur non attendit obiectivae absentiae condicionum locutionis, deceptionis et fallaciae, sententia falsa, quam in perplexitate sua proferet, erit mendacium proprie dictum, sane, sed applicabitur ei solutio « provisoria » perplexitatis, de qua supra egimus (n. 44s).

Applicationem aliquam huius solutionis probabiliter inveniri nobis videtur in modo quo S. Ambrosius verba Iudith ad Holophernem intelligit. In capitulo enim in quo eximiam honestatem sanctae huius mulieris exaltat, ponit quod Holophernem « sermonis circumscripsit elegantiâ » [308]. Inerat tamen et *fictio* et *dolus* in eius modo agendi: « Quid eius sapientiam praedicemus, quod huiusmodi est *commentata* consilium? » [309] ... « ut commenta strueret *doli*, vestem illam iucunditatis, qua, vivente viro, vestiri solebat, se induit... » [310].

C. *Materia sociali more reservata.*

137. Continget autem quod aliquae materiae *ex usu* tantum communi seu more sociali excludantur a conversatione, vel saltem a quibusdam determinatis conversationibus, non tamen ex eo quod de talibus conversari per se prohibeatur aut incommodum faciat. Tales sunt materiae quae universim *privatae* dicuntur, quin proprie secretae sint habendae. Haec socialis huiusmodi materiarum conversationis exclusio se habet ut *positiva delimitatio* seu

---

[308] *De officiis*, lib. 3, n. 82.
[309] *De viduis*, lib. 1, n. 39.
[310] Ibid., n. 38.

circumscriptio conversationis. Mos quidem, ut plurimum, rationabilis erit, i. e. innixus convenientiâ aliquâ talis reservationis; quandoque vero erit *arbitrarius*, aut etiam irrationabilis. Quocumque modo se habeat, ex tali more resultat quod praesumitur ab omnibus agnitum quod de talibus materiis non instituitur conversatio, saltem in talibus adiunctis, aut cum talibus categoriis personarum. Qui igitur imperite interrogat de talibus tractari poterit sicut ille qui indiscrete interrogat. Non quod fidelitas directe limitari possit ad morum arbitrium, sed quod mores eam *indirecte* limitare possunt in quantum determinant limites ipsius conversationis per modum universalem in tali societate.

Sic igitur mores ipsi poterunt auferre a quibusdam falsis sermonibus rationem perfidiae, mendaciique proprie dicti, etiamsi aliunde dictis moribus obtemperare sit illicitum. Vix tamen unquam in tali casu, in quo nec obligatio formalis, nec legitimum incommodum adsit ad illum compensandum, sermo fallax admissus ab indecoro morali liberum aestimabitur.

Quodsi mores aliqui directe excusare praetenderent « *levia* », quae dicuntur, mendacia, ob id quod ab omnibus tolerantur vel condonantur, et veritas a nemine de talibus inibi expectatur, utique invalidi essent ad limitationem naturalium finium fidelitatis et ad exclusionem mendacii, sed potius dolendum in ipsis signum agnoscendum esset generalis depressionis sensus moralis in tali regione, et necessitatis urgentis exempli contrarii, in iis praesertim qui ut probi communiter aestimantur. Nullum enim, ne minimum quidem, mendacium a quocumque privato aut populo legitimari potest.

Notandum tandem est periculum ne quis proprium iudicium, utpote sibi rationabile aestimatum, habeat ut *consuetum* iudicium, et quaecumque sibi videantur rationabiliter celari, falsiloquiis temere celari posse iudicet.

Criterium non transgressi limitis honestae discretio-

nis in usu socialis reservationis et, in genere, in usu sermonis falsi inevitabilis, in hoc inveniri poterit quod auditor, veritate comperta, iure fidem amittere non possit in illum cuius falso sermone inductus est in errorem.

138. Istae observationes in nonnullis circumstantiis, ut speramus, conferre poterunt ad morales perplexitates solvendas. Minime intenduntur ut completa regulatio veracitatis in conversando, eo magis quod de omnibus mendacii malitiis nondum egimus. Id tantum intendebamus, explicare nempe quomodo ratio mendacii proprie dicti, illius videlicet qui perfidiâ actuatur, in datis quibusdam extremis circumstantiis cessare possit, et quibus sub limitibus strictissimis assertio fallax non mendax inculpate locum habere possit, quin unquam amittat rationem occasionis peccati, necnon unde cordetenus ab ipsa quivis honestus refugiat.

(*Continuabitur*) M. LEDRUS, S. I.

DE OFFERENDA
ET OBLATIONE IN MISSA

I. - De offerenda.[1]

Complexus rituum qui ab antiphona ad offertorium usque ad initium praefationis decurrunt hodie dici solet: *offertorium* vel *oblatio*. Sed ex his denominationibus facile oritur confusio. *Offertorium* enim proprie antiphonam ad offertorium designare consuevit. *Oblatio* autem plures eosque diversos habet sensus. Significat enim praesertim vel actum offerendi materiam sacrificii ad altare, vel objectum illius oblationis seu ipsa munera oblata, vel tandem ipsius sacrificii oblationem.

Jure ergo merito mavult Amalarius[2] aliud nomen et hanc missae partem vocat offerendam[3]. Tardior est latinitas sed magis specifica significatio. Quare et nobis praeplacet haec denominatio.

Offerendae primordia fuerunt valde simplicia. De ea circa a. 150 Romae testatur S. Justinus tantum hoc: Ei qui praeest « profertur (προσφέρεται) panis et vinum aquae mixtum »[4]. Sed iam notat *Apostolica Traditio* S. Hippolyti oblationem Episcopo fieri per diaconos. Quae oblatio pedetentim fit solemnior et magis socialis. Ipsi fideles assistentes quo-

---

[1] Cf. quae scripsimus olim ap. Collat. Brugen. t. XVIII (1913) 83 *Notion de l'offrande*.

[2] *De eccles. offic.*, lib. III c. 19: De officio quod vocatur offerenda.

[3] Posteriore tempore nomine offerendae ipsam antiphonam ad offertorium designarunt Pseudo-Alcuinus, *De div. officiis*; Remigius Antissiodorensis, *De celebratione missae*, Rupertus de Deutz, II-2. Sed hoc sensu vox est extra usum, ideoque confusio minus est timenda.

[4] *Apolog.* I, 65 et 67.

tidie panes et amulas vini afferunt ad sacerdotem celebraturum, ut ipse ex eis seligat « sancti altaris oblationem »[5] « Accipit sacerdos a te, ait Augustinus, quod pro te offerat, quando vis placare Deum pro peccatis tuis »[6]. « Per sacerdotem offerunt Deo »[7] ut inde fiat « verissimum et singulare sacrificium »[8].

Nomine Ecclesiae sacerdos ritualiter ponebat super altare dona fidelium seu « sanctae Ecclesiae Dei » ut ait *Traditio Apostolica.* Quae ita subtrahebat omni usui profano et dicabat cultui divino intuitu sacrificii. Primitus omnia fiebant manu et mente. Mox autem accessit oratio vocalis quae dicebatur Romae *Oratio super Oblata,* in Gallia vero *Secreta.* Tales orationes innumerae collectae sunt in sacramentario Leoniano, magna ex parte a S. Leone ipso (440-461) conscriptae. His expresse docemur fideles sua munera « divinae Majestati » dicare ad exprimendam internam suam propriam « devotionem » seu voluntatem promptam tradendi se ad famulatum Dei. Docet enim S. Augustinus « sacrificium visibile invisibilis sacrificii esse sacramentum id est signum sacrum »[9]. Et « Nos ipsos esse voluit sacrificium suum[10]. In pane enim et vino, quibus sustentatur vita humana, symbolice (non tam ex specifica qualitate rei oblatae quam ex ipsa natura sacrificii) offerebant propriam vitam suam ut ipsi essent munus perpetuum Deo, cui volebant reddere supremum cultum totius corporis Ecclesiae[11]. Docebantur enim panem ex innumeris granis compactum et vinum ex multis uvis expressum, significare multitudinem fidelium qui cum Christo in sacrificio conjungebantur[12].

---

[5] *S. Augustt.* Epist. 149, 16.

[6] *Id. Enarr. in ps.* 129, 7.

[7] *Id. Epist.* III, 8 « Per manus sacerdotis offerimus » ait Amalarius Op. cit. III-19.

[8] *De spiritu et littera,* XI, 18.

[9] *De civitate Dei,* X, 5.

[10] *Sermo* 227; cfr. secretam Sab. post Cineres: « ... ut hujus operatione mundati, beneplacitum tibi nostrae mentis offeramus affectum ... ».

[11] Vide secretas Leoniani passim.

[12] *Didache,* IX, 4; S. Cyprianus, Ep. LXIII, 13; LXIX, 5;

Saeculo VII-VIII, Pontifex oblationes « accipiens in manus suas, elevans oculos et manus cum ipsis in coelum, orat ad Deum secrete, et completa oratione, ponit eas super altare » [13]. Nulla tamen praescripta erat formula determinata. Orationi secretae assistentes per *Amen* assensum praebebant.

Videtur itaque offerenda ab antiquis fuisse ritualis oblatio materiae sacrificii quae a fidelibus per sacerdotem fiebat intuitu et in praeparationem sacrificii eucharistici.

A saec. tamen IX pedetentim, hinc inde, diversis locis, temporibus et adjunctis, addere coeperunt varias precum formulas, quibus nihil aliud intendebant quam significationem materiae et rituum oblationis magis explicite declarare.

Tardior origo et character adventitius harum precum apparet ex eo quod recitantur secreto, et quod in plurali vel singulari sunt conceptae pro diversa illarum origine.

Ex qua multiplici varietate elegit tandem Pius V nonnullas formulas quas definitive statuit, non nova reordinatione sed iuxta usum praevalentem, praesertim romanum.

Ex sequente schemate elucet quam arcte et logice omnia sibi cohaereant et succedant.

I. Introductio ad missam fidelium: Dominus vobiscum; Oremus (« Precibus fidelium » suppressis).

II. Offerenda: Praeparatio, determinatio et inchoatio oblationis sacrificalis:

A. *Afferuntur* munera ad altare (olim a populo) et interim cantatur offertorium variabile.

B. *Offeruntur* ritualiter munera per sacerdotem:

a/ panis: *Suscipe, sancte Pater.*

b/ calix: 1) Benedictio miscendae aquae: *Deus qui humanae,*

S. Aug. *Sermo* 272. *Tract. in Joan.* XXVI, 13; S. Chrysost., *Hom,* 24 in Cor, 17; S. Gaudent. *Sermo de Exodi lectione,* 11; Amalarius, *De Eccl. offic.* III, 19, (MPL, CV; 1131).

[13] *Ordo Joannis Archicant.* (edit. C. SILVA-TAROUCA, p. 198). Et hoc vocat Amalarius (De eccl. off. III, 19, 20, 24) « immolationem panis et vini » (III, 20) qua descenditur ad universale sacrificium, immolationem scilicet Christi (III, 24).

2) Oblatio: *Offerimus tibi.*

c/ Offerentes sacerdos et fideles: *In spiritu humilitatis ... suscipiamur,*

d/ petitio transsubstantiationis: *Veni sanctificator ..... et benedic.*

C. *Gratior redditur* oblatio Deo per incensum:

a/ impositio et benedictio incensi: *per intercessionem.*

b/ Thurificatio: 1) Panis et vini: *Incensum istud*

2) crucis, altaris celebrantis assistentium: *Dirigatur ... Ascendat,*

c/ Purificatio manuum: *Lavabo.*

d/ Concludens oblatio panis et vini simul praeparati: *Suscipe, sancta Trinitas.*

D. *Commendatur Deo* oblatio per Secretam festo aut mysterio diei propriam:

a/ invitatio ad orandum: *Orate fratres ... Suscipiat.*

b/ ipsa oratio variabilis secreta quae oblata Deo commendat.

E. *Assensum* populus praestat: *Amen.*

Nec traditio quae formulas induxit, nec Pius V qui nonnullas determinavit ac stabilivit, ducti sunt intentione innovandi [14]. Quare censendum est fundamentalem sensum inde non esse mutatum sed solummodo explicatum.

Unde mirari licet auctores modernos, in explicanda offerendae significatione, adeo ancipites haerere et vias inire valde diversas. Nonne causa in eo est quod nimis tentant rem dirimere a priori et modo extraliturgico? Ipsius sane liturgiae ritus et textus praeprimis interrogare oportet. Quod nos praestare in sequentibus conabimur.

1. - Consentiunt omnes in offerenda non *perfici* ipsius *sacrificii oblationem*, quae in consecratione tantum perficitur.

2. - Quidam eam habent ut mere *caeremonialem anticipationem* aut dramaticam transpositionem [15] oblationis

---

[14] « Il ne s'agit de rien autre que de commenter le geste traditionnel du peuple et du clergé » ait merito R.mus B. Capelle, L'*Offertoire*, p. 63 - Par. apud. *Quest. Liturg. et Paroiss.* XVII 1932.

[15] *A. Fortescue, The Mass,* 1912 p. 298 et 305; *I. Brinktrine, Die Heilige Messe,* 1934, 2ª ed.; par. 30.

sacrificalis: praevie nempe, explicationis et praefigurationis gratia censent manifestari ea quae sacramentaliter fient in consecratione et quae dicentur in canone. Analogum habetur in ordinatione sacerdotali, ubi in fine missae ritualiter exprimitur collatio potestatis dimittendi peccata, quae revera jam collata fuit per manuum impositionem.

Sed contra est: hac explicatione abrumpi omnem nexum cum ritu antiquiore, qui certe non hoc intendebat, quique imo ita omni significatione vacuatur.

Praeterea, in ordinatione sacerdotali vere utilis, ne dicam necessaria, est huiusmodi « dramatica transpositio ». Impositio enim manuum habet significationes valde diversas, adeoque explicari convenit ut in casu appareat quid proprie importet et conferat.

E contrario in missa ea quae spectant naturam sacrificii eucharistici accuratius et plenius intelliguntur ex consecratione et canone quam ex formulis offerendae.

3. - Iuxta alios[16] offerenda formaliter est *praesanctificatio seu praevia materiae dedicatio et benedictio per se stans* ad instar cujusdam « sacrificii praeparatorii et secundarii », in quo offeruntur fidelium intentiones et vota et per quod obtinentur gratiae quae in secretis petuntur. Est quasi « minor canon » ante canonem essentialis sacrificii.

Sed contra est: a/ Habetur quidem aliqua praevia oblatio adeoque dedicatio materiae, sed haec non fit propter se sed unice intendit oblationem sacrificalem in consecratione. Quare dicuntur quidem preces *oblationis*, nulla autem formula *benedictionis praeparatoriae* panis et vini. Accessorie benedicuntur aqua et incensum, sed non materia sacrificii proprie dicta, ne quidem in oratione « Veni Sanctificator et *benedic* » ut videbimus. Omnia et unice praeparant et intendunt consecrationem.

b/ In formulis oblationis panis et vini et in secretis exprimuntur quidem intentiones et petuntur gratiae diver-

[16] D. E. Vandeur: *La sainte Messe*, 8e ed. pp. 136 et 140.

sissimae. Sed efflagitantur, ut alibi ostendimus, non ratione benedictionis aut sanctificationis jam praevie acceptae, sed *intuitu futurae consecrationis* « per virtutem sacramenti », « virtute mysterii », « sacrificii operatione » ut aiunt textus sacramentarii Leoniani [17].

4. - Alii tandem [18] reicientes tam « anticipationem » quam specialem benedictionem, censent offerendam esse meram praeparationem oblationis sacrificalis, et « nihil amplius ». Nulla fit oblatio nec a fidelibus nec etiam a sacerdote, quia tota oblatio reservatur canoni et consecrationi.

Sed contra est et in formulis oblationis tam panis quam vini et in secretis expresse dici: *offero, offerimus, suscipe hanc oblationem,* etc.

Nobis videtur esse oblatio materiae a fidelibus aut eorum nomine praesentatae per sacerdotem ritualiter facta, sed tota ordinata ad vere sacrificalem oblationem, quae per transsubstantiationem in consecratione perficienda est.

Praeparat sacrificium et quidem ritualiter: sed non est ritus per se stans, in se aliquo modo absolutus et a longe praeparans, sicut est missa cathechumenorum. Haec extrinsece praeparat missam, dum disponit fideles ad fructuosam participationem. Offerenda vero vocatur et est « oblatio » *intrinsece connexa cum actione canonis quam positive praeparat et aliquatenus inchoat,* ita ut ab ea distingui quidem, nullatenus vero sejungi possit.

Est itaque, ut magis determinate loquamur: *praeparatio, determinatio et inchoatio oblationis vere sacrificalis* quae in consecratione perficietur.

A. - *Praeparatio* tum sacrificii materiae tum offerentium.

a) *Materiam* enim offert, aptam reddit, dum vinum

---

[17] C. Callewaert: *Les Fins et les Fruits du Sacrifice. (Questions liturgiques et paroissiales,* 1939, p. 20-35.

[18] D. B. Capelle: *L'Offertoire* (Quest. Liturg. et paroiss. XVII 1932, 57-67).

aqua miscet; eam ab omni usu proprio et profano secernens in loco consecrationis collocat, et verbis explicitis Deo offert et dedicat. Ipsique odore suavitatis incensi acceptabilem reddit.

b) *Offerentes* vero spiritu humilitatis et contritionis et per externam internamque puritatem rite disponit ad consecrandum, ut « a Domino suscipiantur » et sacrificii fines obtineant.

B. - *Determinatio* indicat vario modo quem in finem dona materialia ad altare Dei sint oblata: ut nempe Spiritus sanctificator « benedicat » h. e. consecret hoc sacrificium « praeparatum » ut qua « immaculata hostia » et « calix salutaris » exsequatur fines et intentiones quae multipliciter exprimuntur.

C. - *Inchoatio* tandem. Liturgia enim non juxtaponit oblationem panis et vini atque oblationem Corporis et Sanguinis Christi tanquam duos actus plane diversos et independentes. Proponit potius oblationem unam eamque protractam, qua exhibetur Deo munus quod initio est *vera et mera oblatio* sed quod deinde, per conversionem in Corpus et Sanguinem Christi perque ejus immolationem transit in *oblationem vere sacrificalem* divinae Victimae Crucis.

Quod ut bene perspectum habeamus, intimius inquirendum est quid nomine oblationis veniat in liturgia missae.

II. - De oblatione in missa.

Ad essentiam sacramenti et sacrificii eucharistici pertinent panis et vini species. Hae autem obtineri nequeunt sine pane et vino praevie praesentibus. Debet ergo Ecclesia necessario eas materias in altari exhibere. Eas autem praesentat ex formali et exclusiva intentione *ut* convertantur in Corpus et Sanguinem Christi, in veram sacrificii Victimam Deo offerendam. Et hoc facit ritualiter et publice. Per ministrum nempe publicum sacrificii debito ritu deponit ea in altari, quod est tradere Deo et formulis statutis

declarat se ea « offerre » ea intentione ut « benedicantur » seu transsubstantientur et fiant sacrificium.

Eo ipso haec materialia secernit ab omni usu proprio aut profano eaque dedicat cultui divino et quidem specifice sacrificali. Inde etiam fiunt *res sacrae et vera oblatio.*

1. - *Quid sit offerre et oblatio.*

Ad exprimendum oblationis actum generatim adhibetur verbum *offerre,* quod in lingua sacra classica est ignotum.

a) Etymologice (ob-ferre) est ferre coram aliquo, praesentare alicui. Sed ex *usu communi* connotat affectum internum et significat: praesentare, dare cum vel ex sensu reverentiae, amoris, grati animi, submissionis.

In *materia religiosa* « offerri » dicuntur quae ex sensu religionis Deo exhibentur ad cultum: cera, oleum, dona omnimoda, oblationes, primitiae.

Sed frequentius et magis specifice adhibetur vox ubi de *sacrificio,* adeo ut interdum « offerre » per se solum sine addito sit « sacrificium eucharisticum celebrare » [19].

Non tamen una est, etiam in hac materia, significatio. Potest enim vel expressius actum externum offerentis designare vel e contrario magis directe actui internae oblationis insistere.

In Offerenda v. g. saepe exprimit *actionem exiernam* praesentandi aut in altari deponendi materiam sacrificii. Hoc elucet ex synonimis passim adhibitis: deferre, inferre, altari imponere, cum muneribus concurrere, muneribus altaria cumulare, etc. Solet tamen connotare, et quidem saepe expresse, internum oblationis fontem, qui est affectus *devotionis*: dicimur enim offerre « devoti » « ex studio sanctae devotionis », « supplici servitute », « famulantes », « supplicantes ut », « offerimus munera cum precibus », etc.

---

[19] P. Batiffol: *Leçons sur la Messe,* p. 174.

Alias videtur singulariter exprimere *actum internum* oblationis. In canone v. g. dicuntur etiam fideles « offerre » licet ipsi oblata materialiter non aut nonnisi per manum sacerdotis obtulerint: « nos servi tui, sed et plebs tua sancta ... offerimus ».

b) Offerre in liturgia missae videtur includere ideam *dandi, donandi.*

Dum « offerimus », renuntiamus plene proprio juri utendi et abutendi re oblata et hanc totam remittimus dispositioni Dei ut ea libere utatur ad cultum sui. « Damus » quantum creaturae possibile est dare Creatori, qui semper servat altum dominium earum rerum quas nostrae dispositioni committit.

Quod elucet ex innumeris liturgiae textibus. Quod enim « offertur » vocari solet: *donum,* quod importat renuntiationem gratuitam; vel *munus,* quod gratuitae donationi superaddit affectum reverentiae, amoris, grati animi: vel *sacrificium;* quod diserte adjungit rem « sacram fieri », quatenus datur Deo ad ejus supremam Excellentiam submisse agnoscendam.

Praeterea petimus ut Deus « accipiat », « suscipiat », « assumat », « acceptabile » aut « acceptum habeat ». Ceterum, teste liturgia, offerre nihil aliud est quam reddere Deo « de suis donis ac datis » quae ipse nobis tribuit. « Tua enim Tibi holocausta offerentes », « munera Tibi de tua largitate deferimus ». « Tibi sacrificia dicata reddantur », « quae sic deferenda tribuisti, ut eadem remedia fieri nostra praestares ». Nam « munera terrena gratanter offerimus, ut coelestia consequamur, damus temporalia ut sumamus aeterna ». (Leon, P. 10).

Et sic « exercemus, Domine, gloriosa *commercia*: offerimus quae dedisti, ut Te Ipsum mereamur accipere » (ibid.) et « per hujus sacrificii veneranda commercia unius summae divinitatis participes efficis».

Modo igitur constanti et consequenti exhibet liturgia actum offerendi *ad modum donationis aut quasi donatio-*

nis, qua sponte renuntiamus bono nostro proprio illudque transferimus in dominium Dei ut devoti agnoscamus infinitam Ejus excellentiam et dominationem [20].

Haec donatio, sacrificali intentione Deo facta, profundam eximiamque habet significationem. Per actum enim externum renuntiamus propriis commodis quae ex usu et proprietate rei nobis obveniunt, et Deum agnoscimus ut plenissimum rei oblatae Dominum. Per internam autem intentionem significamus hac externa donatione nos Illum agnoscere ut Dominum non tantum rei oblatae, sed rerum omnium etiam nostrarum, imo et maxime nostrimetipsius. Et renuntiando proprio juri et commodo, practice profitemur nos vere Deo devotos seu prompte paratos ad omnia praestanda — etiam cum proprii commodi resignatione — quae Ipse ad servitium suum nos vult observare.

Luculenter igitur exprimit agnitionem supremae Excellentiae Dei quatenus non est solum primum principium nostrum sed etiam ultimus finis noster, cui per plenam submissionem intimius adhaerere volumus.

Et, ni fallamur, haec plena et practica agnitio reverentialis subiectionis erga Deum luculentius exprimitur per hujusmodi « donationem » quam per simplicem « destructionem ». Haec enim aeque bene, imo forte expressius, theoretice significare potest Deum esse Dominum vitae et mortis, et Auctorem totius esse rerum, sed multo minus testatur practicam et promptam voluntatem cum proprio incommodo praestandi Deo quidquid in sui honorem nobis injungit.

---

[20] Primus, ut videtur, contra hanc traditionalem conceptionem oblationis insurrexit Lutherus: ut missae negaret naturam veri sacrificii, sic contra catholicos ratiocinatus est: non potest aliquid dari Deo qui a se omnia possidet. In missa ergo non potest fieri oblatio ad modum donationis adeoque deficit ratio sacrificii.

2. - *De subiecto oblationis.*

1° - Ipse *sacerdos* solus nominatur in prima Offerendae oratione: « *Ego* indignus famulus tuus *offero* Tibi ... ». Antequam insereretur in Ordine missae, erat oratio quam celebrans privatim pro se solo orare consueverat.

2° - Sed subsequentes orationes Ordinis missae et secretae omnes in plurali sunt conceptae, absque dubio ut recitentur nomine non solius celebrantis *sed et fidelium* saltem assistentium. Patet ex invitationibus « Oremus », « Orate fratres ». Ceterum plures orationes diserte affirmant fideles offerre: « meum ac vestrum sacrificium » « circumstantium qui Tibi *offerunt* » « *oblationem* servitutis nostrae sed et cunctae familiae Tuae » et post consecrationem: «nos servi tui, sed et plebs tua sancta ... *offerimus* ».

Dicuntur ergo, tam ante quam post consecrationem, offerre tum sacerdos tum fideles. Non tamen eodem modo offerunt: fideles enim tantum co-offerunt cum et per sacerdotem quum dicant: « Suscipiat Dominus sacrificium (nostrum) de manibus tuis » Et eorum subordinatio in offerendo satis clare insinuatur in speciali coniunctione « sed et » in supracitatis textibus bis expressa. Sed haec enucleare non est hujus loci.

3° - Christum tandem offerre seipsum apparet ex verbis consecrationis, in quibus loquitur sacerdos ex persona ipsius Christi, dum dicit: « Corpus *meum* ... Sanguinis *mei* ».

3. - *Obiectum oblationis.*

Est *natura sua sensibile* quid et materiale. Vocatur: « terrena substantia », temporales hostiae », « munera terrena ». « creaturae quas ad fragilitatis nostrae praesidium

condidisti » (Leon., 114), munera quibus Deus « humani generis utramque substantiam ... alimento vegetat ». (Leon. 115).

Unde non videtur dubium obiectum oblationis in Offerenda esse panem et vinum.

Sed obiectum natura sua materiale et profanum est *destinatione sua sacrum*, ut evincitur ex intentione offerentium.

Fit autem sacrum ipsa sui oblatione. Ab omnibus enim admittitur principium quod apud S. Thomam ponitur quidem in obiectione, sed ab ipso Angelico agnoscitur: « Omnis hostia ex hoc quod Deo offertur, Deo sanctificatur ». (III, q. 22, a. 2, 3).

Ut autem praecaveamus confusionem quae in quaerenda notione Offerendae occurrere solet, sedulo distinguamus oportet duplicem diversam sanctificationem, sicut et duplicem ei respondentem mutationem:

Alteram *moralem*, qua res oblata fit simpliciter sacra seu cultui divino addicta;

alteram *physicam*, qua substantialiter convertitur in Corpus et Sanguinem Christi passi seu in Victimam sacrificii eucharistici et fit verum sacrificium.

4. - *Prior sanctificatio* in missa oritur ex oblatione in Offerenda.

Ex ritibus enim et precibus dedicationis elucet altare consecrari tanquam sedem majestatis divinae. Altare repraesentat Deum ipsum inter nos, adeo ut quidquid ritu legitimo deponitur in altari ut ei unice serviatur, tanquam Deo donatum habeatur. Et esse Deo seu cultui divino addictum dicitur *esse sacrum*.

Iam vero panis et vinum a fidelibus, ut olim, vel saltem nomine fidelium, afferuntur intuitu cultus eucharistici.

Eo ipso quod per sacerdotem ritualiter — etiam sine verbis ut olim — deponuntur in altari, ritu externo exprimitur ea obiecta usui profano subtrahi et unice addici

cultui divino. Fiunt itaque *res sacrae et oblatio* stricto sensu.

a) Hanc sanctificationem simplicem agnoscunt rubricae. De hostia enim quae ante consecrationem inveniatur fracta statuitur (de defect. X, 9) « quod si illius Hostiae iam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat », in ipso ritu sacro nempe, quia est res sacra.

b) Hanc testantur innumerae secretae, v. g. in Leoniano. Passim enim panis et vinum dicuntur: « munera Nomini tuo dicata » vel « oblata » (Leon. pp. 13, 18, 28, 33, 35, 39, 60, etc.). « munera quae oculis tuae Maiestatis *offerimus* » (Leon. 18, 33, 41, 44, 53, etc.) aut « *deferimus* » (Ibid. 15-36). Unde saepe vocantur « oblatio ».

c) Etiam in *Ordine Missae* ter dicuntur « Oblatio » ante consecrationem. « Suscipe Sancta Trinitas hanc *oblationem* »: « Hanc igitur *oblationem* ». « *Quam oblationem* ».

In offerenda itaque materia sacrificii fit oblatio et res sacra.

Merito ergo concludit Amalarius: « Oblatio quae superposita est in priore officio [in Offerenda] *Deo deputata est ac per hoc sanctificata,* id est a terrenis separata et coelestibus deputata: in ista observatur usquedum ex ea fiat Corpus Domini, hac postea assumatur in caelum ».

B. - *Altera sanctificatio* fit in consecratione Missae per transsubstantiationem totius substantiae panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, qui Deo offertur in sacrificium.

Panis enim et vinum in Offerenda Deo offeruntur non ut simpliciter cultui divino inserviant quovis modo sicut sunt in se, sed singulariter ut per actum sacerdotis convertantur in Corpus et Sanguinem Christi immolati et sic Deo offeratur verum et unicum Novae Legis sacrificium.

Mirabilem hanc et singularem conversionem seu transsubstantiationem et sacrificalem oblationem solemus nos hodie nomine technico vocare « *consecrationem* ». Anti-

quior autem traditio [21] sicut et liturgia libentes adhibent etiam verba « benedicere » et « sanctificare ».

1° - Orat v. g. Episcopus consecrator pro neo-sacerdote: « in obsequium plebis tuae, panem et vinum in Corpus et Sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment » [22].

2° - Hanc iterato diserte petit Ordo Missae:

a) in Offerenda:

« Veni, *Sanctificator* Spiritus et *benedic* hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum ».

b) in prima oratione canonis:

« Te igitur, clementissime Pater ... petimus uti accepta habeas et *benedicas* haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata ».

c) et immediate ante consecrationem:

« Quam oblationem tu Deus ... *benedictam* ... facere digneris ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Iesu Christi ».

Post consecrationem autem, rem oblatam iam vocat canon non solum « Panem sanctum vitae aeternae et Calicem salutis perpetuae » sed explicite: « sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem ».

3° - Hanc ulteriorem sanctificationem petunt diserte etiam innumerae secretae.

In vicenis enim haec vel similia verba legimus:

« *Sanctifica* ... haec munera » (S. Nicolai).

« *Sanctifica* ... hujus oblationis hostiam (Ss. Trinit.).

---

[21] Audi v. g. Ambrosium: « Quod *benedictio consecravit* » (De mysteriis, IX, 50). « de ipsa *consecratione* divina » « ante *benedictionem* caelestium verborum ... post *consecrationem* » (ibid. IX, 52, 54); cujus sermo *sanctificat* sacrificium quod offertur » (Enarr. in ps. XXXVIII, 52; In Luc, 1, 28). « *Benedicere* et *sanctificare* » ait S. Augustinus, Epist. 59 et « *sanctificatus* per verbum Dei » (Serm. CCXXVII). S. Cyrillus Alexandr. « Oblationes ... *sanctificari*, *benedici* et *consecrari* a Christo credimus » Advers. Anthropomorphitas, C, XII) etc. Ipsum concilium Tridentinum consecrationem vocat « panis vinique *benedictionem* ». (Sess, XIII, cap. I).

[22] Pontificale, in ordinatione presbyteri.

« Propitius haec dona *sanctifica* (Fer. II post Pent.).
« Munera oblata *sanctifica* (Vig. S. Joann. Bapt.).[23]

Et agitur de muneribus iam Deo dicatis adeoque iam « sacris » sed nondum « sanctificatis » per consecrationem.

Munera Tibi Domine dicata *sanctifica* (Com. unius Mart. Pont.). « *Nomine tuo,* Dne, munera *dicata sanctifica,* ut et sacramentum nobis aeternae praebeant et profectum ». (Leon. p. 60)..

« Descendat ... Spiritus tuus Sanctus super hoc altare qui et populi tui dona *sanctificet* et sumentium corda dignantes emundet ». (Anniv. Dedicationis).

« *Consecra* quae de terrenis fructibus Nomini Tuo *dicanda* mandasti ut ... et *sacramentum nobis perpetuae salvationis* instituas ». (Leon. 57).

Tandem in nonnullis secretis petitur expressis terminis ut:

« Munus ... tua virtute *sacretur* » (Leon. 76).
« Munus ... tu salutare *nobis perfice sacramentum* » (Fer. II post dom. III Quadrag.).
« Munus ... oblatum ... *efficias sacramentum* » (Leon. 37).
« Munera ... *sacramentum nostrae redemptionis efficias* » (Leon. 66).
« Oblatio tibi nostra *sacrificium* pariter *reddatur* et actio » (Leon. 83).
« Munera ... *sanctifica,* ut et nobis Unigeniti tui *Corpus et Sanguis fiant,* et ... » (Orationes ad diversa, n. 6, pro rege)[24].
« Sacrificia D.ne tuis *oblata* conspectibus, ignis ille divinus absumat qui discipulorum Christi Filii tui per Spiritum Sanctum corda succendit » (Fer VI Quat. Temp. Pent.).

4° - Praeterea gratiae quae in secretis multipliciter petuntur, nec efflagitantur nec expectantur ex virtute prae-

---

[23] Cf. in vig. et fest. Pent. et fer. V post Pent. etc. etc.; in festis S. Dominici, S. Saturnini, S. Thomae ep., S. Telesphori, etc.

[24] De praefatis cf. art. nostrum citatum *Les Fins et les Fruits du Sacrifice,* p. 24, ss.

cedentis oblationis et sacrationis, sed per virtutem sanctificationis in consecratione perficiendae:

« Hostias Dne suscipe placatus oblatas, quas *sanctificando* nobis quaes. *efficias salutares* ». (Leon. p. 65.

Ideo saepe expresse petuntur « per virtutem huius sacramenti », « virtute sacramenti », « virtute mysterii », « operatione sacrificii», « interveniente sacrificio singulari », etc.

In quo consistat haec altera sanctificatio, docet Concilium Tridentinum declarans « conversionem fieri totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius » [25]; dicens insuper: « Corpus et Sanguinem sub speciebus panis et vini Deo Patri per Apostolos eorumque in sacerdotio successores offerri in verum sacrificium [26].

Idem testatur luculenter liturgia missae:

In Offerenda enim panis et vinum ritualiter Deo *offeruntur*: ritualiter ponuntur in altari et Deo dantur, indeque fiunt *res sacrae* et proprie vocantur « oblatio ». Sed haec sanctificatio est mere moralis et ordinis intentionalis; naturam physicam non attingit aut mutat: est *mera oblatio*. Per verba autem consecrationis a sacerdote prolata, panis et vinum substantialiter convertuntur in « Corpus et Sanguinem » Filii Dei, in « Hostiam puram, sanctam », in « sanctum sacrificium, Hostiam immaculatam ».

Quae erat mera oblatio, per actum sacerdotis *transit in sacramentum et sacrificium stricte dictum.*

Quod clare docet S. Thomas ubi de sacrificio proprie dicto scribit (II, II, q. 85, a. 3 ad 3):

« Dicendum quod *sacrificia proprie* dicuntur [in oppositione ad alia multa quae Deo exhibentur] quando *circa res Deo oblatas* ALIQUID FIT, sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur et comeditur et benedicitur.

[25] Conc. Trid. Sess. XIII, cap. IV.
[26] id. Sess. XXII, cap. I.

Et hoc ipsum nomen sonat: Nam *sacrificium dicitur ex hoc quod* HOMO FACIT ALIQUID *sacrum*. Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur etiamsi *nihil circa ipsum fiat;* sicut dicuntur offerri denarii vel panes in altari, circa quos NIHIL FIT. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur. Primitiae autem oblationes sunt, quia Deo offerebantur, ut legitur (Deut XXVI); non autem sunt *sacrificia, quia nihil sacrum circa eas fiebat* ».

4. - *Oblatio protracta.*

Ex his iam clare elucet Offerendam missae intrinsece connecti cum subsequente canone, eamque *esse aliqualem inchoationem sacrificii.*

Sed intimior apparebit nexus, si attente consideremus modum quo *Ordo missae* designat oblata et actum oblationis in successivis orationibus ab Offertorio ad finem canonis:

Suscipe ... hanc immaculatam Hostiam quam Tibi offero ...
Offerimus Tibi *calicem salutaris* deprecantes ...
... *suscipiamur* a Te et sic fiat *sacrificium nostrum ... bene*✠*dic hoc sacrificium ...*
Suscipe hanc oblationem quam Tibi *offerimus* ...
Orate fratres, *ut meum ac vestrum sacrificium* ...
Suscipiat Dnus *sacrificium* de manibus tuis ...
... rogamus uti *accepta habeas* et benedicas haec ✠ dona haec ✠ munera, haec ✠ *sancta sacrificia illibata* quae Tibi *offerimus ...*
Pro quibus Tibi *offerimus* vel qui Tibi *offerunt hoc sacrificium laudis.*
Hanc igitur *oblationem ... accipias ...*
Quam oblationem bene ✠ dictam ... *acceptabilemque* facere digneris ...

In consecratione:

Hoc est Corpus ... accipiens et *hunc* praeclarum calicem *Hic* est Calix.

Post consecrationem:

Offerimus ... de tuis donis ac datis Hostiam ✠ *puram, Hos-*

tiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam, Panem sanctum ✠ vitae aeternae et Calicem ✠ salutis perpetuae.

Supra *quae* ... et *accepta habere* ... sicut *munera* Abel et *sacrificium* Abrahae ... Melchisedech *sanctum sacrificium*, immaculatam Hostiam.

Jube *haec* perferri ... ut quotquot ex hac altaris participatione, sacrosanctum *Filii tui Cor ✠ pus et Sangui ✠ nem* sumpserimus.

Per quem *haec* omnia ...

Sequentia speciatim animadvertere liceat.

Notentur inprimis verba continue repetita: offero, offerimus, offerunt, suscipe, suscipiat, suscipiamur, acceptabile fiat, acceptabilem facere, accepta habeas, accepta habere, iube perferri.

Ex his ad evidentiam, ni fallamur, apparet continuo agi de *actu offerendi* saltem interne.

Actus ille imprimis exprimit rationem donandi et acceptandi.

Actus ille deinde exhibetur ut actualiter aut virtualiter perdurans ab offertorio usque ad canonis doxologiam et iterato diserte exprimitur per idem verbum technicum *offerre*, aut per locutionem aequivalentem, quae idem supponit: suscipere, acceptabile facere, accepta habere, perferri in sublime altare.

1. - Est igitur una intentio, aut voluntas, unusque moraliter *actus offerendi*.

2. - *Subiectum* offerens quod exprimitur est et manet idem: sacerdos et plebs sancta.

3. - Ad *obiectum* tandem quod spectat, notentur:

a) pronomina demonstrativa aut relativa: *hanc, haec, hoc, hunc, hic, quae*, ab offertorio ad doxologiam designant semper illud idem obiectum oblationis quod manet in altari;

b) signa crucis similiter, tam ante quam post consecrationem, eamdem Hostiam eumdemque Calicem indigitant ut oblationis obiectum;

c) pariter rubrica toto tempore vocat « oblata » vel

« Hostiam » et « Calicem » illud idem quod est obiectum orationis aut oblationis, dicens v. g.: « accipit patenam cum *Hostia, quam offerens*, dicit: *Suscipe* sancte Pater *hanc immaculatam Hostiam* ... »

Ex quo elucet obiectum illius oblationis quae perdurat, esse et permanere illud idem quod post offertorium in altari ritualiter depositum, praesens manet per totum canonem. Secundum apparentiam externam idem permanet ante, infra et post consecrationem. Ex textibus tamen apparet illud esse prius panem et vinum, sed, dum actus offerendi protrahitur et se evolvit, illud fieri Corpus et Sanguinem Christi sub speciebus eiusdem panis et vini, illudque etiam ita offerri Deo Patri in sacrificium.

III. - Ritualis unitas oblationis.

His omnibus attente consideratis, cum fiducia, ni fallamur, concludere licet: Offerenda missae non est habenda tamquam « minor canon » plus minus independens et per se stans: nec tanquam caeremonialis et dramatica anticipatio; nec tanquam praevia materiae benedictio fructus sibi proprios afferens. Est tamen vera sed simplex et mera oblatio.

Est nempe logica praeparatio sed et inchoatio ritualis ipsius sacrificii in consecratione perficiendi, a quo divelli nequit.

Perseverante nempe eadem sacrificandi intentione seu eodem sacrificio interno, dum per sacerdotem sese evolvit ritus externus, ab iisdem sacerdote et fidelibus offertur idem unum obiectum quod, permanentibus iisdem speciebus panis et vini, substantialiter convertitur in Corpus et Sanguinem Christi, qui ministerio sacerdotis una cum corpore suo mystico in veram sacrificii Victimam Seipsum Deo Patri offert, sub speciebus panis et vini ab initio Deo dicatis.

Ante consecrationem est *mera oblatio*, quae tamen

non fit propter se, sed unice intendit sacramentalem consecrationem. Per hanc conversionem efficitur « sacramentum redemptionis nostrae » fit « singulare sacrificium », transit in oblationem vere sacrificalem divinae Victimae Calvariae sub prius oblatorum speciebus.

Non obstante ergo essentiali quae producitur mutatione, tota structura liturgica missae ab offertorio ad canonis doxologiam sese exhibet ut expressio unius actus protractae et indivulsae oblationis quae interne actu aut virtute perdurat et externe verbis et actibus variis manifestatur.

Omnia ordinantur et referuntur ad consecrationem, quae est centrum et culmen totius orationis et actionis sacrificalis [27].

Habet igitur haec pars missae suam ritualem unitatem.

1) In primordiis ei respondebat *unitas litteraria.*

Primitus enim oratio consecratoria concepta fuisse videtur quasi una phrasis, in qua tanquam membrum - per relativum « *qui pridie* - inserta erat, tanquam gemma, narratio institutionis Eucharistiae. Incipiebat oratio a *gratiis agendis* pro mirabilibus et beneficiis Dei, signanter pro beneficio Incarnationis Verbi, opere Redemptionis et institutione Eucharistiae quae narrando renovabatur. Deinde fere tota erat in evolvendis natura, obiecto et fine *oblationis.* Unde a graecis vocari solebat Eucharistia (= gratiarum actio) aut Anaphora (= oblatio).

Roma exhibet nobis valde expressivum exemplum huiusmodi Orationis eucharisticae: anaphoram graece conceptam et latine nobis asservatam in versione operis S. Hip-

---

[27] Il y a dans la messe, ait merito Ill. Batiffol, un mouvement d'ascension, dont le point de départ est l'offrande matérielle du pain et du vin; dont le point culminant est, au moment où s'opère la conversion de ce pain et de ce vin au corps immolé du Sauveur et à son sang, l'oblation de ce corps et de ce sang à Dieu que le Sauveur renouvelle par les lèvres et les mains du prêtre. « *Leçons sur la Messe* » éd. 1918, éd. 3e, p. 162.

polyti cui titulus *Traditio apostolica* (ca 220). Inter anaphoras omnes est antiquissima.

Saeculo IV ei substituta est alia formula latina, quae est *prior nostri canonis recensio*, cuius partem fundamentalem ad verbum novimus ex tractatu *De Sacramentis* S. Ambrosii († 397). Sed phrasis primitiva unica in plura concisa est membra. Primum S. IV separata est in a) Praefationem quae Deo reddit gratias et laudes et b) Canonem quae est oratio oblationis. Ipse canon in plures distinguitur orationes connexas, quae exprimunt oblationem et intercessionem, necnon petitionem transsubstantiationis et narrationem institutionis in qua perficitur sacrificium, et tandem una phrasis exprimit anamnesim et oblationem cum petitione acceptationis et ratihabitionis divinae. Haec est recensio prior saeculi IV.

Sed in fine saec. V, probabiliter a Gelasio Papa (492-496) facta est *recensio altera*: haec a) priorem non substantialiter mutavit sed sat notabiliter ampliavit; b) unicam phrasim post consecrationem in tres distinctas divisit et c) inseruit stabili modo quinque orationes intercessionis, nempe duo *Memento*, quae videntur romanae et sat antiquae, necnon *Communicantes*, *Nobis quoque* et *Hanc igitur*, quarum prior certo, ceterae verosimiliter a S. Leone (441-460) fuerant compositae et in canone jam adhibitae.

Haec Gelasii recensio - in *Hanc igitur* paululum a S. Gregorio I mutata - admissa fuit in sacramentario Gelasiano et hodiedum in ritu latino adhibetur.

Eximiam hanc orationem eucharisticam concludet, coronidis instar, illa mirabilis doxologia finalis, qua « per Christum et cum Christo et in Christo », toti sanctissimae Trinitati reddebatur « omnis honor et gloria per omnia saecula saeculorum ». Et dum sacerdos sollemni gestu elevabat et ostendebat Hostiam simul et Calicem, plebs sancta per acclamationem *Amen* toti orationi devotum praebebat assensum.

Integra oratio canonis (usque ad finem s. XII) nec ge-

nuflexione nec elevatione interrumpebatur ullo momento, etsi imminuta apparebat antiquae anaphorae fundamentalis unitas. Haec hodie adhuc elucet praesertim si, in legendo canonem, omittas quinque supra indicatas - partes insertas.

2) *Secreta* autem dicebatur *oratio super oblatis*. Et merito quidem. Hoc enim munere fungitur ut oblationem panis et vini a populo per sacerdotem factam exprimat et Deo commendet et mysterio diei aptet. Pertinet itaque sine dubio ad praecedentem Offerendam.

Aliunde tam intime connectitur cum sequentibus praefatione et canone ut punctum iuncturae vix appareat. Proprium enim est praefationibus liturgicis ut introducantur oratione quadam praeparatoria; et hoc munere in missa fungitur secreta[28].

Ceterum solet secreta, ut vidimus, diserte a Deo efflagitare ut « sanctificet » seu consecret munera oblata et ut per virtutem sanctificationis uberes fidelibus gratias largitur. Quod utrumque non obtinetur nisi per canonem. Unde rursus apparet quam arcte cum anaphora aut canone cohaereat.

Et notatu dignum videtur verba quibus actus offerendi communius exprimitur, puta Dei nomini dicare, offerre, sacrare, immolare, celebrare, ita adhiberi ut diversa signet temporis momenta; nunc in praeterito quasi oblatio iam esset facta, tunc in praesenti, quasi hoc ipso momento fieret, tandem in futuro, quasi adhuc facienda.

a) *Praeteritum*: *oblata* vel *dicata* Nomini tuo munera (Leon. passim) *Oblati* sacrificii praestet effectus (Leon., p. 135).

b) *Praesens*: *offerimus* oculis tuae Majestatis (Leon., 18, 33 41, 44, 53, 58, 65, 72, etc.).

Oblationes *offerimus* ... et *immolamus* (Leon., 19, 146, 151).

Hostias suppliciter *immolamus* (Leon. 89, 94, 112).

---

[28] A. Croegaert, « *Uitgewerkte plannen over het H. Misoffer.* II deel 1935, 406. - J. Brinktrine, « *Zur Deutung des Wortes Secreta* (Ephem. Liturg 183, 231, ss.

Offerimus munera ... quae *celebramus* (Leon, 170) Sacrificium *celebremus* (Leon., 11).

Respice propitius et munera quae *sacramus* (fer. VI post Dom. III Quad.).

c) *Futurum*: ad *offerenda* munera laeti concurrimus (Leon. 28); *Offerendorum* tibi munerum Deus auctor (Leon., 88; cf. 99, 64).

Sacrandum tibi munus *offerimus* (Leon., 157; Hostias Nominibus *sacrandas offerimus* (Leon., 48; cf. 117).

Muneribus *sacrandis* ... Hostia *sacranda* (Leon., 15) *Consecra* quae de terrenis fructibus Nomini tuo *dicanda* mandasti. (Leon., 57. cf. 114).

Ad munera *dicanda* concurrimus quae *immolamus* (Leon., 105).

Hostias *deferimus immolandas* (Leon., 63); Sacrificium tibi *celebrandum* intende (Leon., 67); Concede nobis ut *celebraturi* (Leon., 81).

Tota proinde actio et oratio per modum unius considerandа est. Quid ergo mirum Ecclesiam, quamdiu expressio voluntatis sacrificandi concurrit cum rei oblatae praesentia, oculos mentis continuo habere conversos in illam essentialem transsubstantiationem et oblationem quam unice intendit, et, abstrahendo a tempore, de ea loqui quasi continuo esset in « fieri »?

Ex quo lux affulget plenior nonnullis quaestionibus quae primo aspectu difficultatem facessere solent.

1. - Attendamus imprimis ad modum loquendi de obiecto oblationis:

a) Optime novit Ecclesia ante consecrationem in altari adesse merum panem et vinum: sed in his materialibus donis, proleptice ex nunc pro tunc, jam oculo fidei intuetur ipsum Christum sub speciebus illius panis et vini quod per sacerdotem Dei dedicavit. Et secundum hunc conceptum loquitur et orat in Offerenda, signanter in secretis, et in priore parte canonis. Miscet nempe ea quae materialibus oblatis tantum conveniunt cum his quae de solis transsubstantiatis asseri possunt.

Substantiva quae ex subiecta materia et ex pronomi-

nibus demonstrativis evidenter designant materiam oblatam, decorantur epithetis quae vix aut ne vix quidem applicari possunt materiae nondum consecratae. Panem offerens sacerdos vocat « hanc hostiam immaculatam », vinum quod offert jam dicit « calicem salutaris »; utrumque simul vocat sacrificium: « haec sancta sacrificia illibata »; item consecratione peracta dicet: « hostiam immaculatam », « calicem salutis perpetuae », « sanctum sacrificium ».

b) Fructus sacrificii petunt secretae, expressis terminis aut implicite, per « virtutem sacramenti » quae illos ex opere operato producit. Et tamen non raro loquuntur quasi fructus essent effectus muneris mere oblati:

« Muneris operatio mundet et foveat ».
« Haec hostia emundet nostra delicta (Dom. III Quadr.).

c) Aliunde, post consecrationem, adhibet quidem nonnullas expressiones, quae omne tollunt dubium: « sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem ». Sed plures locutiones sunt vel valde indeterminatae « supra *quae* », « jube *haec* perferri » vel similes verbis ante consecrationem adhibitis: « Hostiam puram », Hostiam sanctam, immaculatam », « calicem salutis perpetuae ».

Licet enim oblata sint substantialiter mutata, remanent tamen species, quibus solis sub sensibus nostris cadunt. Et non offerimus Deo solum Corpus et Sanguinem Christi, sed hoc Corpus et hunc Sanguinem sub speciebus illius panis et vini quod fideles per sacerdotem obtulerunt. In oblatione sacrificali unica ita expressius indigitantur partes Christi capitis et partes Ecclesiae corporis.

2. - Consecratione perficitur sacrificium in instanti, sicut cetera sacramenta. Sed unico momento dici nequeunt omnia quae tamen in publico officio exprimenda videntur. Unde in sacramento ordinis, v. g., licet unica manuum impositione conferatur neo-presbytero tum potestas consecrandi tum potestas dimittendi peccata; utriusque tamen potestatis collatio specialiter verbis et ritibus exprimitur

et repraesentatur in caeremoniis quae manuum impositionem sequuntur. Et hoc nemo miratur. A pari in missa in ipsa consecratione explicite dici non possunt plura, puta de oblatione et acceptatione sacrificii, deque specialibus finibus et fructibus quae intuitu communitatis clarius exprimere decet. Sed si tota anaphora, immo integra mysterii celebratio habetur ut expressio una unius eiusdemque actus oblationis internae quae ante, in et post consecrationem perseverat, non tanti interest quonam praecise momento externe promantur quae interne concepta sunt. Videamus v. g. illam antiquiorem nostri canonis partem quae intimius cohaeret cum consecratione, quam immediate sequitur. Ibi, in exsecutionem praecepti a Christo in Coena dati (*Unde et memores*), solemniter exprimuntur omnia quae ad naturam sacrificii eucharistici pertinent:

a) formalis actus oblationis Hostiae immolatae sub duplici specie panis et vini (*Offerimus*).

b) Explicita petitio acceptationis divinae (*Supra quae ... accepta habere*).

c) Supplex efflagitatio fructuum sacrificii (*Supplices te*).

Sed haec omnia implicite et pragmatice jam expressa fuerant in verbis et actu ipsius consecrationis.

Praeterea oblatio jam iterato expressa fuerat in pluribus orationibus Offerendae, in Secreta et oratione *Te igitur*.

Oblationis acceptatio divina per transsubstantiationem petita fuerat immediate ante consecrationem in antiqua oratione *Hanc igitur oblationem*. Quod fructus attinet et fines sacrificii passim petuntur et indicantur, quin speciatim attendatur utrum iam facta an vero adhuc facienda sit consecratio.

Et quando s. IV-V in antiquiore canone insertae sunt recentiores preces intercessionis, additae sunt absque speciali respectu ad momentum transsubstantiationis. *Memento* vivorum ante, defunctorum vero post consecrationem

inseritur. Item memoria et veneratio Sanctorum ac communionis nostrae cum caelicolis a. s. Leone I (440-461) partim in priore (*Communicantes*) partim in altera canonis sectione (*Nobis quoque peccatoribus*) posita sunt.

3. - Si integra oblatio et oratio eucharistica per modum unius actus sacrificalis sumitur, non est cur miremur sanctos Patres parum sollicitos fuisse ut praecisum determinarent momentum quo panis converteretur in Corpus Christi et perficeretur sacrificium. Postea tantum de hoc momento quaestio exorta est ex magis accurata inquisitione theologiae scholasticae.

Unde etiam mirandum non est quasdam Patrum locutiones nobis esse minus accuratas et posse videri erroneas iis qui eas per se solas interpretantur, neglectis illis textibus et doctrina universim recepta, aut non attento aspectu speciali sub quo scriptor doctrinam hic et nunc considerat.

Scribit v. g. S. Ambrosius « Quotiescumque sacramenta *sumimus*, quae *per sacrae orationis mysterium* in Carnem transfigurantur et Sanguinem, mortem Domini annuntiamus » [29], quasi immolatio Christi eiusque mortis annuntiatio fieret per communionem potius quam per consecrationem. Sed idem sanctus Doctor apertissime testatur panis naturam mutari in naturam Corporis Christi « ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur » [30]. Et idem non minus diserte dicit in *De Sacramentis*, ubi, confirmationis gratia, citat amnesim canonis: « Ergo memores gloriosissimae Eius passionis » [31]. Ex quibus liquet S. Ambrosium cum liturgia saeculi IV testari per ipsa verba consecrationis fieri transsubstantiationem et agi memoriam mortis dominicae.

* * *

4. - Sicut in multis aliis officiis liturgicis, sic a fortiori in celebratione sacrificii quod est mysterii crucis es-

---

[29] De Fide ad Gratianum, IV, 10.
[30] De mysteriis, 52.
[31] De Sacramentis, IV, 22, ss.

sentialiter commemorativum et repraesentativum, multiplices praescribuntur crucesignationes, quae fiunt notatim super Hostiam et Calicem simul aut separatim.

Iam mediaevales scholastici et liturgistae valde diversas inire solebant vias, dum conabantur explicare vel significationem crucium vel rationes ob quas tali determinato verbo fuerint adoptatae. De his fusius indagare non est huius loci. Unum tantum animadvertere placet, quod ad nostram materiam pertinet.

Multi fundamentalem distinctionem a priori ponunt inter crucis signa quae praecedunt et ea quae sequuntur consecrationem. Priora, aiunt, revera sunt vel possunt esse signa *benedictionis invocativae*, qua petitur ut Deus per merita crucis Christi operetur transsubstantiationem nobisque concedat benedictionem et gratiam. Cetera vero, quia peracta est iam consecratio, nullatenus ut talia haberi possunt: sunt tantum *signa mere demonstrativa* quae indigitant obiectum cui applicanda sunt verba quae proferuntur, et insinuant aliquam relationem ad mysterium crucis Christi, cuius per sacrificium missae memoria renovatur et virtus applicatur[32].

Ex hac distinctione non videtur nobis solvenda quaestio.

In liturgia enim romana — sicut generatim et in ceteris liturgiis — nec intenditur unquam nec petitur transsubstantiatio formaliter ut sic, seu praesentia Christi sub speciebus propter se solam, sed in quantum fiat sacramentum aut sacrificium nobis salutare, in quantum fiat nobis fons omnium gratiarum quae ab initio Offerendae usque ad finem missae quasi continuo efflagitamus.

En quosdam textus disertos. In pervetusta oratione *Quam Oblationem*, quae immediate consecrationem praecedit, rogamus ut oblatio panis et vini non simpliciter

---

[32] Cf. H. Van den Berghe « Ordo missae, p. 99, s. Collat. Brugen. XIII, 1908, 628, n.

« fiat Corpus et Sanguis Christi », sed, « fiat NOBIS Corpus et Sanguis ».

Et hoc verbulum « nobis » utut parvum, est summopere attendendum. Idem enim erat verbum in aequivalenti sed antiquiore canonis formula qualis exhibetur in tractatu S. Ambrosii *De sacramentis* » [33]: « Fac *nobis* hanc oblationem ascriptam ... ». Idem repetitur in secreta pro rege « Munera oblata sanctifica: ut et *nobis* Unigeniti tui Corpus et Sanguis fiat et regi ... » [34].

Idem occurrit in pluribus secretis sacramentarii Leoniani:

« Sicut eadem (munera) *nobis* efficias sacramentum » (Feltoe, p. 28).

« Munus ... *nobis* efficias sacramentum » (Ibid., p. 37).

« Spiritum sanctum ... qui haec munera nostra tuum *nobis* efficiat sacramentum ... » (p. 74).

« Munera tuae *nobis* fiat praemium redemptionis aeternae (Ibid., p. 74) Cf. Leonianum, Feltoe, pp. 57-60.

Ceterum in innumeris secretis quae ut diximus, diserte petunt: « sanctifica munera nostra ... » haec sanctificatio fere semper ita determinatur ut per eam variae gratiae efflagitentur pro nobis.

Declaramus enim in *Orate fratres*, nos intendere offerre sacrificium ad « Laudem et gloriam nominis Dei, ad utilitatem quoque nostram totiusque Ecclesiae suae sanctae », adeoque et salutares in animabus producat fructus. Iam vero hi fructus omnes obtinendi sunt per merita crucis Christi. Possunt autem peti, sicut revera petuntur, non tantum ante, sed etiam post consecrationem. Et huiusmodi petitio potest etiam signo crucis exprimi. Nihil ergo obstat quominus aliquod signum crucis etiam post conse-

---

[33] Jam communius et merito quidem habetur tractatus *De sacramentis* ut a S. Ambrosio dictatus, sed non propria revisione politus.

[34] Orat. sexta inter Orationes et diversa.

crationem sit signum benedictionis invocativae sensu indicato.

Quaestio proinde non est a priori et dogmatice solvenda ex loco cruci assignato ante vel post consecrationem.

Ad aliam methodum est recurrendum. Significatio crucium specifica singulis casibus specialiter videtur indaganda ex verbis quibus signa associantur, inspectis historica evolutione et praxi traditionali.

Constat enim signum crucis in vita christiana et in liturgia fundamentaliter et ubique manifestare relationem ad crucem sacrificii Christi, et quidem fere semper indigitare hanc crucem tanquam causam meritoriam omnis doni aut effectus supernaturalis, tanquam fontem omnis gratiae et benedictionis. Sed haec relatio est multipliciter diversa.

Interdum crux adhibetur ut symbolum aut merum signum.

Sicut electi in Apocalypsi signabantur forte littera T, sic cruce se signant seque manifestant fideles et catechumeni ecclesiae et monumenta christiana. Cruce determinari solent loca osculanda, puta in indumentis sacris aut ad initium evangelii.

Generatim tamen intimius connectitur cum idea benedictionis divinae datae aut accipiendae. Rursus tamen varia est haec connexio.

a) Si nempe *assertive* indicatur effectus supernaturalis per verbum *benedixit* aut aliud aequivalens, signum crucis addi potest ad attestandum benedictionem datam esse per merita crucis Christi. Ita, saltem praecipue, videntur intelligenda signa crucis ad verbum bene✠dixit bis repetitum in consecratione, necnon in fine canonis ubi praescribitur ad verba sancti✠ficas, vivifi✠cas bene✠dicis, non autem ad verbum creas, quod non pertinet ad opus Redemptionis.

b) Si autem *efficaciter* aut ex opere operato producitur effectus supernaturalis, puta in exorcismis aut sa-

crementis, signum crucis, verbis superadditum manifestum faciet effectum produci per virtutem et merita crucifixi Iesu: Exorcizo te per Deum✠vivum, per Deum✠verum ...

c) Si tandem *invocative* efflagitatur aliqua gratia, signum crucis, sublineans et confirmans petitionis verba, fit signum benedictionis invocativae connotans gratiam rogari per merita crucis Christi. Ita v. g. ad vocem *bene✠dic* in oratione *Veni sanctificator*. Sed etiam per se solum potest signum crucis adhiberi tanquam realis sed tacita petitio benedictionis, puta ubi sacerdos benedicit incensum nihil dicens, aut ubi episcopus solo crucis signo benedicit personas. Et ipsa persona benedicta solet cruce se signare ut mereatur efficaciter in se recipere benedictionis gratiam per merita crucis Christi obtinendam.

Quaenam nunc in specie sit significatio determinata alicuius crucis, diiudicandum aut coniiciendum videtur potissimum ex verbis quibus signum associatur. Sed utiliter fiet collatio cum aliis casibus similibus et inspicienda erit historica origo et evolutio et traditionalis praxis.

Signa enim crucis in canone non sunt primitiva seu verbis coaeva: nec omnia simul inducta, sed pedetentim, longa et valde variabili evolutione a saec. VII-VIII [315]. Accesserunt quando verba et sensus canonis iam longo usu stabilita fuerant. Censendum igitur est intentionem fuisse verborum sensum non mutare sed per signa roborare aut aliquatenus explicare. Ita vicissim vidimus in Offerenda actionum significationem fuisse explicatam per verba formularum quae postea accesserunt.

Inter antiquissimos indices, plures nullis insigniuntur crucibus. Primus autem in quo notantur, Vaticanus Regin

---

[315] J. Brinktrine « *Die heilige Messe* » Paderborn 1934, ad calicem habet excursum de signis crucis in canone (p. 295-303) et sub hoc respectu examinavit 44 ex antiquioribus codicibus.

lat. 316 (s. VII-VIII) habet tantum signa quatuor, in *Te Igitur*: « bene✠dicas haec✠dona, haec✠munera, haec sancta✠sacrificia illibata ». Ex voce « benedicas » coniiciendum est signum additum fuisse ad confirmandum gestu illud quod verbis petitur, ut nempe « clementissimus pater ... per Iesum Christum (h. e. per merita crucis Redemptoris) dignaretur oblata « benedicere ... imprimis pro Ecclesia sancta catholica ... ». Ex quatuor signis appositis primum sane expressius indicat crucem hic esse verum signum benedictionis invocativae; cetera videntur potius demonstrare in quodnam obiectum invocetur benedictio. Sed posteriore tempore omissum est signum ad vocem benedicas, probabiliter ad servandum ex symbolismo numerum ternarium; quo factum est ut tria oblatorum nomina insignirentur nota speciali quae postea etiam ad alia nomina translata fuerit.

Decursu temporis, multiplicata sunt, sed valde irregulariter, crucis signa infra et extra canonem. De singulis tali methodo indicare vel suspicari quis posset quanam intentione fuerint inducta. Sed haec inquirere non est huius loci.

Unum sit, ad modum conclusionis, exemplum de tribus crucibus in oratione *Supplices Te rogamus*. Censemus tria signa in una phrasi inter se cohaerere. Duo priora videntur praesertim designare haec quae cruce signantur facta esse Cor✠pus et San✠guinem Victimae Crucis ut per sumptionem crucifixi merita nobis applicarentur. Et haec praecise efficax applicatio ad nos significatur et implicite petitur per signum crucis quo celebrans seipsum signat. Simili modo agit qui cantat evangelium: signans primo evangelii textum, exprimit hunc nobis esse bonum nuntium Crucifixi, et deinde cruce signans seipsum, petit in se transferri huius boni nuntii gratiam et benedictionem. Et ut vidimus, nihil obstat quominus huiusmodi benedictionis petitio fiat post consecrationem.

* * *

Scholion. Liturgia missae, ut ex praefatis elucet, sacrificium eucharisticum exhibet tanquam oblationem et constanter loquitur de offerendo sacrificio, non de immolando.

Ne inde exaggeratam deducamus conclusionem prudenter praemonet nos sagax theologus: « Sophisma est sic ratiocinari: in missali non docetur incruentam Christi immolationem pertinere ad sacrificium: ergo non credendum est incruentam Christi immolationem pertinere ad sacrificium ».

Candide fatemur nos ne minima quidem tentatione ad huiusmodi sophisma fuisse sollicitatos.

Novimus enim ex una parte concilium Tridentinum declarare « in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur et *incruente immolatur* qui in ara crucis semel *se ipsum cruente obtulit.* « Ex alia parte missale ostendit quomodo peragatur haec immolatio incruenta. Efficitur nempe per verba consecrationis *sacramentaliter,* seu, ut constanter loquitur traditio, « in signo », « in sacramento », « in mysterio », « in figura », « in repraesentatione », «incruente», «mystice » ex eo scilicet quod Christus duplici consecratione realiter praesens sistitur ut Victima in cruce immolata, Corpore vi verborum praesente sub specie panis, Sanguine vero pariter vi verborum sub specie vini existente. Nulla ergo ne quidem apparens antinomia Missale inter et Tridentinum. E contrario!

Quodsi de « immolatione » ulterius comparetur liturgia cum doctrina concilii, sequentia notari possunt.

A) Nec liturgia nec concilium expresse definiunt aut declarant quid sit proprie sacrificium in genere, aut in quo consistat praecise essentia sacrificii eucharistici, utrum in « immolatione », an in « oblatione ». Immo, sat communiter censent theologi concilium *ex intento* abstinuisse ab his quaestionibus dirimendis.

B) Concilium certe non definivit, immo nobis videtur non docere, immolationem incruentam esse *immola-*

tionem veram et actualem sicut vera et actualis fuit in cruce, potius quam « imaginem quandam repraesentativam passionis Christi, quae vera est eius immolatio », ut cum ecclesiastica traditione docet S. Thomas [36].

C) Ad liturgiam vero quod spectat:

1) Imprimis sedulo attendenda est formula consecrationis vini. Dicit enim: « Sanguinis qui ... *effundetur* in remissionem peccatorum ». Nota tempus futurum! Non asseritur ergo Sanguinis effusio actualis seu immolatio incruenta praesens, quae hic et nunc perficitur. Indigitatur vero in memoriam passionis effusio quae proxime erat facienda, nempe postridie, in cruce. Sacramentalis ergo immolatio quam verba consecrationis perficiunt videtur esse repraesentatio immolationis cruentae, seu « *imago repraesentativa passionis* » ut ait S. Thomas, qua nempe, ut declarat Tridentinum « cruentum sacrificium semel in cruce peractum *repraesentatur* atque illius *salutaris virtus* in remissionem eorum quae a nobis quotidie committuntur, peccatorum *applicatur* ».

Et operae pretium est notare tempus futurum pariter adhibitum esse in formulis consecrationis omnium omnino liturgiarum latinarum, sicut et in Vulgata latina in narratione institutionis tum apud tres synopticos, tum apud S. Paulum (I Cor. XI, 24). Adeo ut vix dubium esse possit de sensu Ecclesiae Occidentalis.

2) Ubicumque *Ordo missae* aut liturgia dedicationis altaris agit de celebratione mysterii eucharistici, semper loquitur de donis, muneribus, hostiis aut sacrificiis offerendis aut oblatis, non vero de victimis immolandis.

3) In secretis tamen, quamvis multo frequentior sit locutio de « oblatione » sacrificii, non adeo raro occurrit mentio « immolationis ». Et haec meretur sane disquisitionem accuratiorem quam quae hic institui possit. Pauca tantum notemus.

---

[36] S. Th. III, q. 83, art. I.

A)Interdum vox immolare intelligenda est vel videtur de immolatione cruenta in cruce vere peracta, quae in missa sacramentaliter repraesentatur; interdum valde ancipites haeremus utrum de altaris sacrificio an vero de cruce agatur [37].

B) Generatim immolari in recto dicitur non de Christo ipso, sed de pane et vino: ex quo patet intelligendum esse sensu quodam latiore, quo idem valet ac « offerre Deo » quovis modo. Et ab omnibus admittitur hanc significationem usualem fuisse latissime sparsam.

Censemus tamen saepius connotari vel subintelligi modum oblationi eucharisticae proprium: quo nempe Christus offertur non quidem « morte intercedente », sed intercedente immolatione mystica quae essentialiter est repraesentativa immolationis verae in cruce. Immolare Christum in missa est « Offerre Christum immolatum olim in cruce » ut docet Albertus Magnus [38].

Brugis C. CALLEWAERT (†)

N.R. - *Non nisi ineunte mense aprili huius anni* Periodica *nuntium acceperunt, reverendissimum et doctissimum auctorem huius articuli die 6 aug. anni 1943 Brugis piissime sicut vixerat in Domino fuisse defunctum. Per tres ultimos menses ante mortem lecto affixus usque ad propenultimum vitae diem orationi et studiis liturgicis incumbebat, praeparans quoque novam suorum operum editionem. Post gubernium seminarii magni Brugensis, ubi etiam scientias sacras docuit, totum se dederat verae et sanae renovationi vitae liturgicae. Multi eius gratissimo corde sunt memores. R. I. P.*

---

[37] Cf. Vg. Sabb. post Cineres (ex Leoniano, p. 159) in festo S. Leonis II.

[38] In Sent. l. IV, d. 13, a. 23.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Litterae Encyclicae « Divino afflante Spiritu »*

(*AAS* xxxv [20 oct. 1943] p. 297).

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES, ITEMQUE AD UNIVERSUM CLERUM ET CHRISTIFIDELES CATHOLICI ORBIS: DE SACRORUM BIBLIORUM STUDIIS OPPORTUNE PROVEHENDIS.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

INTRODUCTIO

1. Divino afflante Spiritu, illos Sacri Scriptores exararunt libros, quos Deus, pro sua erga hominum genus paterna caritate, dilargiri voluit « ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus ».[1] Nihil igitur mirum, si Sancta Ecclesia hunc e caelo datum thesaurum, quem doctrinae de fide et moribus pretiosissimum habet fontem divinamque normam, ut ex Apostolorum manibus illibatum accepit, ita omni cum cura custodivit, a quavis falsa et perversa interpretatione defendit, et ad munus supernam impertiendi animis salutem sollicite adhibuit, quemadmodum paene innumera cuiusvis aetatis documenta luculenter testantur. Recentioribus au-

* Quae diversis paragraphis apponuntur, desumpta sunt fere ad verbum ex indice adiecto.

[1] II *Tim.* III, 16 sq.

tem temporibus, Sacras Litteras, cum divina earum origo et recta earumdem explanatio peculiari ratione in discrimen vocarentur, maiore etiam alacritate et studio tutandas ac protegendas suscepit Ecclesia. Itaque iam sacrosancta Tridentina Synodus « libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis » esse agnoscendos sollemni edixit decreto.[2] Ac nostra aetate Concilium Vaticanum, ut falsas de inspiratione doctrinas reprobaret, hoc eosdem libros, « pro sacris et canonicis » ab Ecclesia habendos esse declaravit « non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati, nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant, sed propterea, quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditi sunt »[3] Deinceps vero, cum contra sollemnem hanc catholicae doctrinae definitionem, qua libris « integris cum omnibus suis partibus » divina eiusmodi vindicatur auctoritas, quae cuiusvis erroris immunitate fruatur, catholici quidam scriptores ausi essent Scripturae Sacrae veritatem ad res tantum fidei morumque coarctare, cetera autem, sive physici sive historici generis, ceu « obiter dicta » et cum fide — prout ipsi contenderunt — minime conexa reputare, Decessor Noster imm. mem. Leo XIII Encyclicis Litteris *Providentissimus Deus,* die XVIII mensis Novembris anno MDCCCLXXXXIII datis, et illos errores iure meritoque confodit, et Divinorum Librorum studia praeceptis normisque munivit sapientissimis.

2. Quandoquidem vero quinquagesimum exeuntem annum recolere addecet, cum Encyclicae hae Litterae, quae princeps studiorum biblicorum habentur lex, editae sunt, Nos quidem, pro ea, quam inde a Summi Pontificatus exordiis de sacris disciplinis curam professi sumus[4], illud opportunissime factum iri censuimus, si et ea, quae Decessor Noster sapienter statuit eiusque successores ad opus stabiliendum perficiendumque contulerunt, confirmemus et inculcemus, et quae in praesens tempora postulare videantur decernamus, ut omnes Ecclesiae filios, qui hisce studiis se dedunt, ad rem tam necessariam tamque laudabilem magis magisque incitemus.

---

[2] Sessio IV, decr. 1; *Ench. Bibl.* n. 45.

[3] Sessio III, Cap. 2; *Ench. Bibl.* n. 62.

[4] *Sermo ad alumnos Seminariorum... in Urbe* (die 24 Iunii 1939); *Acta Ap. Sedis* XXXI (1939), p. 245-251.

I.

OPUS LEONIS XIII

3. Haec prima ac summa Leonis XIII cura fuit, ut doctrinam de Sacrorum Voluminum veritate exponeret et ab impugnationibus vindicaret. Gravibus igitur verbis edixit nullum omnino haberi errorem cum hagiographus, de rebus physicis loquens, « ea secutus sit quae sensibiliter appareant », ut ait Angelicus, [5] verba faciendo « aut quodam translationis modo, aut sicut communis sermo per ea ferebat tempora, hodieque de multis fert rebus in cotidiana vita, ipsos inter homines scientissimos ». Ipsos enim « scriptores sacros, seu verius — verba sunt Augustini [6] — Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista — videlicet intimam adspectabilium rerum constitutionem — docere homines nulli saluti profutura » [7]; quod quidem « ad cognatas disciplinas, ad historiam praesertim, iuvabit transferri », nimirum « haud dissimili ratione adversariorum fallacias » refellendo et « historicam Sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus » tuendo [8]. Neque Sacro Scriptori errorem imputandum esse, ubi « quaedam librariis in codicibus describendis minus recte exciderint » aut « germana alicuius loci sententia permaneat anceps ». Denique nefas omnino esse « aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse scriptorem », cum divina inspiratio « per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est Deum, summam Veritatem, nullius omnino erroris auctorem esse. Haec est antiqua et constans fides Ecclesiae » [9].

4. Hanc igitur, quam Decessor Noster Leo XIII tanta cum gravitate doctrinam exposuit, Nos quoque auctoritate Nostra proponimus et, ut ab omnibus religiose teneatur, inculcamus. Nec minus sollerter iisdem vel hodie obsequendum esse statuimus consiliis et incitamentis, quae ille, pro suo tempore, sapientissime adiunxit. Nam cum novae nec leves surgerent difficultates et quaestiones, tum ex praeiudicatis *rationalismi* usque quaque grassantis opinionibus, tum maxime ex antiquissimis

---

[5] Cf. I[a], q. 70, art. 1 ad 3.

[6] *De Gen. ad litt.* 2, 9, 20; *PL.* XXXIV, col. 270 sq.; *CSEL.* XXVIII (Sectio III, pars 2) p. 46.

[7] LEONIS XIII *Acta* XIII, p. 355; *Ench. Bibl.* n. 106.

[8] Cf. BENEDICTUS XV, Enc. *Spiritus Paraclitus*, *Acta Ap. Sedis* XII (1920), p. 396; *Ench. Bibl.* n. 471.

[9] LEONIS XIII *Acta* XIII, p. 357 sq.; *Ench. Bibl.* n. 109 sq.

monumentis passim in orientalibus regionibus effossis et exploratis, idem Decessor Noster sollicitudine muneris apostolici impulsus, non modo ut praeclarus eiusmodi catholicae revelationis fons tutius atque uberius ad utilitatem dominici gregis pateret, verum etiam ut eumdem ne pateretur ulla in parte violari, optavit et cupiit, « ut plures patrocinium Divinarum Litterarum rite susciperent tenerentque constanter; utque illi potissime, quos divina gratia in sacrum ordinem vocavit, maiorem in dies diligentiam industriamque iisdem legendis, meditandis, explanandis, quod aequissimum est, impenderent [10] ».

5. Quapropter idem Pontifex, ut iam pridem Scholam studiis Bibliorum Sacrorum colendis Hierosolymae ad Sancti Stephani, cura quidem Magistri Generalis Sacri Praedicatorum Ordinis conditam, laudaverat et comprobaverat, ex qua, ut ipsemet ait, « ipsa res biblica non levia cepit incrementa maioraque exspectat » [11]; ita postremo suae vitae anno novam etiam adiecit rationem, qua haec studia, per Encyclicas Litteras *Providentissimus Deus* tantopere commendata, cotidie magis perficerentur et quam tutissime proveherentur. Litteris enim Apostolicis *Vigilantiae,* die XXX mensis Octobris, anno MCMII datis, Consilium, seu *Commissionem,* quam vocant, gravium virorum constituit, « qui eam sibi haberent provinciam, omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nostros inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflatu, sed etiam ab omni opinionum temeritate » [12]; quod quidem Consilium Nos quoque, decessorum Nostrorum exemplum secuti, re ipsa firmavimus et auximus, illius ministerio ut pluries antea, usi, ut Sacrorum librorum interpretes ad sanas illas catholicae exegeseos leges revocaremus, quas Sancti Patres et Ecclesiae Doctores et Summi ipsi Pontifices tradiderunt [13].

OPUS SUCCESSORUM LEONIS XIII.

6. Heic autem haud abs re alienum videtur grate recolere, quae Nostri subinde Decessores in eumdem finem praecipua et

---

[10] Cf. LEONIS XIII *Acta* XIII, p. 328; *Ench. Bibl.* n. 67 sq.

[11] Litt. Apost. *Hierosolymae in coenobio* d. d. 17 Sept. 1892; LEONIS XIII *Acta* XII, pp. 239-241, v. p. 240.

[12] Cf. LEONIS XIII *Acta* XXII, p. 232 ss.; *Ench. Bibl.* n. 130-141; v. nn. 130, 132.

[13] Pontificiae Commissionis de Re biblica Litterae ad Ecx.mos PP. DD. Archiepiscopos et Episcopos Italiae d. d. 20 Aug. 1941; *Acta Ap. Sedis* XXXIII (1941), pp. 465-472.

utiliora contulerunt, quaeque felicis incepti Leoniani dixerimus sive complementa sive fructus.

1) *Pro ratione studiorum biblicorum instituenda.*

Ac primo quidem Pius X, volens « certam suppeditare rationem, unde bona paretur copia magistrorum, qui gravitate et sinceritate doctrinae commendati, in scholis catholicis Divinos interpretentur Libros, ... academicos prolytae et doctoris in Sacrae Scripturae disciplina gradus ... a *Commissione* Biblica conferendos » instituit;[14] deinde legem tulit « de ratione studiorum S. Scripturae in Seminariis Clericorum servanda » eo nempe spectans, ut sacrorum alumni « non modo vim rationemque et doctrinam Bibliorum haberent ipsi perceptam et cognitam, sed etiam scite probeque possent et in divini verbi ministerio versari, et conscriptos Deo afflante libros ab oppugnationibus ... defendere »[15]; denique, « ut in Urbe Roma altiorum studiorum ad Libros Sacros pertinentium haberetur *centrum*, quod efficaciore, quo liceret, modo doctrinam biblicam et studia omnia eidem adiuncta, sensu Ecclesiae catholicae promoveret », Pontificium Institutum Biblicum condidit, quod, inclitae Societatis Iesu curis concreditum, « altioribus magisteriis omnique instrumento eruditionis biblicae ornatum » voluit, eiusque leges ac disciplinam praescripsit, hac in re « salutare ac frugiferum propositum » Leonis XIII sese exsequi professus[16].

7. Haec denique omnia proximus Decessor Noster fel. rec. Pius XI perfecit, inter alia decernens, ne ullus esset « Sacrarum Litterarum disciplinae in Seminariis tradendae doctor, nisi, confecto peculiari eiusdem disciplinae curriculo, gradus academicos apud *Commissionem* Biblicam vel Institutum Biblicum adeptus legitime esset ». Quos quidem gradus eadem iura eosdemque effectus parere voluit, ac gradus in Sacra Theologia vel in iure *canonico* rite collatos; itemque statuit ne ulli conferretur « beneficium, in quo *canonice* inesset onus Sacrae Scripturae populo explanandae, nisi, praeter alia, is esset licentia aut laurea in re biblica potitus ». Atque una simul exhortatus tam sum-

---

[14] Litt. Apost. *Scripturae Sanctae* d. d. 23 Febr. 1904; Pii X *Acta* I, pp. 176-179; *Ench. Bibl.* nn. 142-150; v. nn. 143-144.

[15] Cf. Litt. Apost. *Quoniam in re biblica* d. d. 27 Mart. 1906; Pii X *Acta III*, pp. 72-76; *Ench. Bibl.* nn. 155-173, v. n. 155.

[16] Litt. Apost. *Vinea electa* d. d. 7 Maii 1909; *Acta Ap. Sedis* I (1909), pp. 447-449; *Ench. Bibl.* nn. 293-306, v. nn. 296 et 294.

mos Ordinum regularium Sodalitatumque religiosarum Moderatores, quam catholici orbis Episcopos, ut ex alumnis suis aptiores ad Scholas Instituti Biblici celebrandas et ad gradus academicos ibi adipiscendos mitterent, hortationes eiusmodi suo exemplo confirmavit, annuis, in id ipsum efficiendum, ex largitate sua reditibus constitutis [17].

8. Idemque Pontifex, postquam fuit, Pio X fel. rec. favente et approbante, anno MCMVII « delatum Sodalibus Benedictinis munus pervestigationum studiorumque apparandorum, quibus nova innitatur editio Conversionis Latinae Scripturarum, quae Vulgatae nomen invenit » [18], hoc idem, quod diuturnum tempus magnosque sumptus postulat, « operosum et arduum facinus », cuius permagnam utilitatem egregia ostenderant volumina iam in lucem edita, firmius securiusque constabilire volens, Urbanum S. Hieronymi Coenobium, quod in illud opus unice incumberet, a fundamentis exstruxit, et bibliotheca ceterisque investigationis subsidiis uberrime ditavit [19].

2) *Pro usu et diffusione S. Scripturae.*

9. Nec silentio heic praetereundum esse videtur, quantopere iidem Decessores Nostri, datis occasionibus, Sacrarum Scripturarum sive studium, sive praedicationem, sive piam denique lectionem ac meditationem commendaverint. Etenim Pius X sodalitatem a S. Hieronymo, quae consuetudinem, sane laudabilem, legendi meditandique sacrosancta Evangelia christifidelibus suadere studet, idque pro viribus facilius reddere, vehementer probavit; et ut alacriter in incepto persisteret hortatus est, edicens « eam esse omnium utilissimam rem quae tempori magis respondeat » quippe quae haud parum conferat ad « abolendam opinionem Scripturis Sacris vernacula lingua legendis repugnare Ecclesiam aut impedimenti quidpiam interponere » [20]. Benedictus autem XV, revoluto decimo ac quinto saeculo, ex quo Maximus in Sacris Litteris exponendis Doctor e vita excessit, postquam tum eiusdem Doctoris praecepta et exempla, tum

[17] Cf. Motu proprio *Bibliorum scientiam* d. d. 27 Aprilis 1924; *Acta Ap. Sedis* XVI (1924), pp. 180-182; *Ench. Bibl.* nn. 518-525.

[18] Epistula ad Rev.mum D. Aidanum Gasquet d. d. 3 Dec. 1907; Pii X *Acta* IV, pp. 117-119; *Ench. Bibl.* n. 285 sq.

[19] Const. Apost. *Inter praecipuas* d. d. 15 iun. 1933; *Acta Ap. Sedis* XXVI (1934), pp. 85-87.

[20] Epist. ad E.mum Card. Cassetta *Qui piam* d. d. 21 ian. 1907; Pii X *Acta* IV, pp. 23-25.

principia ac normas a Leone XIII et ab Se datas religiosissime inculcavit, atque alia hoc in rerum genere maxime opportuna neque unquam oblivioni tradenda commendavit, hortatus est « filios Ecclesiae universos, clericos potissimum, ad Sacrae Scripturae reverentiam, cum pia lectione assiduaque meditatione coniunctam »; monuitque « in his paginis cibum quaerendum esse, unde vita spiritus ad perfectionem alatur », ac « praecipuum Scripturae usum ad divini verbi ministerium pertinere sancte fructuoseque exercendum »; itemque iterum dilaudavit operam Societatis ab eodem S. Hieronymo nuncupatae, cuius cura Evangelia et Acta Apostolorum quam latissime pervulgantur, « ita ut nulla iam sit christiana familia quae iis careat, omnesque cotidiana eorum lectione et meditatione assuescant » [21].

10. Non modo autem hisce Decessorum Nostrorum institutis, praeceptis, incitamentis, sed eorum etiam omnium, qui diligenter iisdem obsecundarunt, operibus ac laboribus, cum in meditando, in pervestigando, in scribendoque, tum in docendo, in concionando, in Sacrisque Libris vertendis ac propagandis exantlatis, aequum ac gratum est profiteri Sacrarum Scripturarum scientiam et usum inter catholicos haud parum profecisse. Permulti enim e scholis, in quibus altiores de re theologica et biblica disciplinae traduntur, ac praecipue e Nostro Pontificio Instituto Biblico, iam prodierunt et in dies prodeunt Scripturae Sanctae cultores, qui incenso studio erga Sacra Volumina animati, hoc eodem impenso studio adulescentem clerum imbuunt, eamque, quam hauserunt, doctrinam eidem sedulo impertiunt. Eorum non pauci scriptis quoque rem biblicam multifariam provexerunt et provehunt; sive cum sacros textus ad criticae artis normas concinnatos edunt, eosque explicant, illustrant, in vulgatas linguas vertunt, sive cum fidelibus ad piam eorumdem lectionem et meditationem proponunt, sive denique cum profanas disciplinas ad Scripturam explanandam utiles excolunt atque adsciscunt. Ex hisce igitur aliisque inceptis, quae in dies latius propagantur et invalescunt, ut, exempli gratia, de re biblica consociationibus, congressibus, coetibus per hebdomadam habitis, bibliothecis, sodalitatibusque meditandis evangeliis, spem concipimus haud dubiam fore, ut in posterum et reverentia et usus et scientia Sacrarum Litterarum etiam atque etiam ad animorum bonum ubique profi-

---

[21] Litt. encycl. *Spiritus Paraclitus* d. d. 15 Sept. 1920; *Acta Ap. Sedis* XII (1920), pp. 385-422; *Ench. Bibl.* nn. 457-508; v. nn. 457, 495, 491.

ciant, dummodo studiorum biblicorum rationem a Leone XIII praescriptam, ab eius Successoribus luculentius perfectiusque declaratam, a Nobis vero confirmatam et auctam — quae quidem unice tuta est atque experimento comprobata — firmius, alacrius, fidentiusque retineant omnes, illis haudquaquam impediti difficultatibus, quae, ut in humanis rebus assolet, huic quoque praeclaro operi numquam deerunt.

II.

HODIERNA CONDICIO STUDIORUM BIBLICORUM

11. Biblicae disciplinae, ceterarumque quae eidem utilitati sunt, condiciones, his quinquaginta annis valde mutatas esse nemo est, quin facile possit animadvertere. Nam, ut alia praetereamus, quo tempore Decessor Noster Encyclicas Litteras *Providentissimus Deus* edidit, vix unus vel alter in Palaestina locus effossionibus ad eiusmodi res pertinentibus coeperat explorari. Nunc vero id genus investigationes et numero auctae sunt plurimum, et severiore ratione atque arte ipso usu expolita, multo plura ac certiora nos docent. Quantum porro lucis ex illis investigationibus ad Sacros Libros rectius pleniusque intellegendos eliciatur, norunt periti omnes, norunt quotquot his studiis dant operam. Augetur autem harum explorationum momentum repertis identidem monumentis scriptis, quae ad cognitionem linguarum, litterarum, eventuum, morum ac cultuum antiquissimorum multum conferunt. Atque haud minoris momenti est inventio et inquisitio, adeo frequens aetate hac nostra, papyrorum, quae ad cognoscendas litteras, institutionesque publicas et privatas, temporis praesertim Servatoris Nostri, tantopere valuere. Ac praeterea vetusti Sacrorum Librorum codices inventi et sollerti data opera editi sunt; exegesis Ecclesiae Patrum latius pleniusque pervestigata est; antiquorum denique modus loquendi, narrandi, scribendique innumeris exemplis illustratur. Haec omnia, quae, non sine providentis Dei consilio, aetas haec nostra consecuta est, Sacrarum Litterarum interpretes quodammodo invitant atque admonent, ut ad Divina Eloquia penitius perscrutanda, illustranda clarius, lucidiusque proponenda, tanta hac luce data alacriter utantur. Quodsi, summo cum animi solacio, cernimus eosdem interpretes invitationi huic naviter iam obsecutos ess, atque adhuc obsequi, id non postremus profecto, nec minimus fructus est Encyclicarum Litterarum *Providentissimus Deus,* quibus

Decessor Noster Leo XIII, hunc novum disciplinae biblicae florem quasi animo praesagiens, exegetas catholicos et ad laborem advocavit, et iisdem quae esset laboris via ac ratio sapienter definivit. Ut autem labor non modo constanter perseveret, sed in dies etiam perficiatur ac reddatur fecundior, Nos quoque Encyclicis his Litteris consequi cupimus, in id maxime intenti ut omnibus ostendamus, quae agenda restent, et qua mente exegetae catholico tantum ac tam excelsum munus hodie adgrediendum sit, utque operariis, in vinea Domini sedulo laborantibus, novos stimulos novumque animum addamus.

RECURSUS AD TEXTUS PRIMIGENIOS

12. Catholico interpreti, qui ad Sacras Scripturas intellegendas explanandasque accederet, iam Ecclesiae Patres, imprimisque Augustinus, veterum linguarum studium et ad textus primigenios recursum magnopere commendabant [22]. Veruntamen ita tunc temporis ferebant litterarum condiciones, ut non multi, iidemque imperfecte tantum, hebraicam linguam nosce-rent. Media vero aetate, cum Scholastica Theologia maxime florebat, graeci etiam sermonis cognitio apud Occidentales adeo iam dudum imminuta erat, ut ipsi summi illorum temporum Doctores, in Divinis Libris explicandis, sola niterentur latina conversione, quam Vulgatam vocant. Ex contrario nostris hisce temporibus non graeca tantummodo lingua, quae inde a renatis humanioribus litteris ad novam quodammodo vitam revocata est, omnibus paene antiquitatis et litterarum cultoribus est familiaris, sed hebraicae quoque aliarumque orientalium linguarum cognitio inter litteratos viros late propagata est. Tanta porro nunc suppetit subsidiorum copia ad eos sermones addiscendos, ut Bibliorum interpres qui, illis neglectis, ad textus primigenios praecluserit sibi aditum, levitatis et socordiae notam effugere minime possit. Exegetae enim est etiam minima quaeque, quae Divino Flamine inspirante, ex hagiographi calamo prodiere, summa cum cura ac veneratione quasi arripere, quo penitius pleniusque mentem eius intellegat. Quare diligenter id agat, ut linguarum biblicarum ac ceterorum quoque orientalium sermonum in dies maiorem sibi comparet peritiam, suamque interpretationem omnibus illis fulciat adiumentis, quae a cuiusvis generis philologia repetantur. Id qui-

[22] Cf. ex gr. S. Hieron., *Praef. in IV Evang. ad Damasum; PL.* XXIX, col. 526-527; S. August., *De doctr. christ.* II, 16; *PL* XXXIV, col. 42-43.

dem divus Hieronymus, pro suae aetatis cognitionibus, sollicite consequi studuit; idque etiam haud pauci ex magnis saeculi XVI et XVII exegetis, quamquam multo minor tum fuit quam hodie linguarum scientia, indefesso studio ac fructu non mediocri appetivere. Eadem igitur ratione primigenium illum textum explanari oportet, qui ab ipso sacro auctore conscriptus maiorem auctoritatem maiusque pondus habet, quam quaelibet, utut optima, sive antiqua sive recentior conversio; quod facilius profecto utiliusque fieri potest, si cum cognitione linguarum etiam solida criticae artis peritia, ad eumdem textum quod attinet, coniungitur.

13. Quantum momentum in eiusmodi critice sit collocandum, scite monuit Augustinus, cum inter praecepta Sacrorum Librorum studioso inculcanda curam emendati textus habendi primo loco posuit. « Codicibus emendandis — ita ille ait clarissimus Ecclesiae Doctor — primitus debet invigilare sollertia eorum qui Scripturas Divinas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant »[23]. Hodie vero haec ars, quae *critices textualis* nomine venit et in edendis profanis scriptionibus magna cum laude et fructu adhibetur, in Libris quoque Sacris, ob ipsam reverentiam divino eloquio debitam, iure optimo exercetur. Id enim ex instituto suo praestat, ut textum sacrum, quantum fieri potest, quam perfectissime restituat, a depravationibus infirmitate amanuensium illatis eum expurget, eumque a glossis et lacunis, a verborum inversionibus ac repetitionibus ab aliisque omne genus mendis, quae in litteras per multa saecula traditas irrepere solent, pro viribus liberet. Ac vix opus est animadvertere istiusmodi criticen, quam abhinc aliquot decenniis non pauci arbitrio plane suo adhibuerunt, atque ita non raro, ut quis dixerit eosdem ad inferendas in sacrum textum praeiudicatas suas opiniones id fecisse, hodie eam legum stabilitatem et securitatem attigisse, ut insigne facta sit instrumentum ad divinum eloquium purius accuratiusque edendum, et ut quilibet abusus facile detegi possit. Neque oportet hoc loco in memoriam revocare — quippe quod omnibus Sacrae Scripturae cultoribus notum ac perspicuum sit — quanto videlicet Ecclesia, inde a primis saeculis ad aetatem usque hanc nostram, haec criticae artis studia in honore habuerit. Hodie igitur, postquam huius artis disciplina ad tantam pervenit perfectionem, rei biblicae studiosorum munus est honorificum, etsi non semper facile, omni ope curare, ut quam primum a catholicis opportune apparentur tam Sacrorum Li-

[23] *De doct. christ.* II, 21; *PL.* XXXIV, col. 46.

brorum, quam antiquarum conversionum editiones ad has normas redactae quae nempe cum summa sacri textus reverentia accuratam coniungant omnium legum criticarum observationem. Atque omnes probe sciant diuturnum hunc laborem non solum esse necessarium ad scripta divino instinctu data recte perspicienda, sed vehementer etiam ex pietate illa postulari, qua providentissimo Deo, qui hos libros veluti paternas litteras e maiestatis suae sede propriis filiis misit, gratos nos esse summopere decet.

14. Neque arbitretur quisquam hunc primorum textuum usum, ad critices rationem habitum, praescriptis illis quae de Vulgata Latina Concilium Tridentinum sapienter statuit [24], ullo modo officere. Constat enim e litterarum monumentis Concilii Praesidibus fuisse creditum, ut ipsius Sacrae Synodi nomine Summum Pontificem rogarent — quod illi quidem fecerunt — ut Latina primum editio, dein vero et Graeca et Hebraica, quoad fieri posset, corrigerentur [25], in Ecclesiae Sanctae Dei utilitatem tandem aliquando vulgandae. Cui voto, si tunc propter temporum difficultates aliaque impedimenta non plene responderi potuit, in praesens, ut fore confidimus, doctorum catholicorum collatis viribus perfectius ampliusque satisfieri potest. Quod autem Vulgatam Tridentina Synodus esse voluit latinam conversionem, « qua omnes pro authentica uterentur », id quidem, ut omnes norunt, latinam solummodo respicit Ecclesiam, eiusdemque publicum Scripturae usum, ac nequaquam, procul dubio, primigeniorum textuum auctoritatem et vim minuit. Neque enim de primigeniis textibus tunc agebatur, sed de latinis, quae illa aetate circumferebantur conversionibus, inter quas idem Concilium illam iure praeferendam edixit, quae « longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est ». Haec igitur praecellens Vulgatae auctoritas seu, ut aiunt, *authentia* non ob criticas praesertim rationes a Concilio statuta est, sed ob illius potius legitimum in Ecclesiis usum, per tot saeculorum decursum habitum; quo quidem usu demonstratur eamdem, prout intellexit et intellegit Ecclesia, in rebus fidei ac morum ab omni prorsus esse errore immunem; ita ut, ipsa Ecclesia testante et confirmante, in disputationibus, lectionibus concionibusque tuto ac sine errandi periculo, proferri possit; atque adeo eiusmodi *authentia* non primario nomine *critica*, sed *iuridica* potius vocatur. Quapropter haec Vulgatae in rebus doctri-

[24] *Decr. de editione et usu Sacrorum Librorum; Conc. Trid.* ed. Soc. Goerres. t. V, p. 91 s.

[25] *Ib.* t. X, p. 471; cf. t. V, pp. 29, 59, 65; t. X, p. 446 sq.

nae auctoritas minime vetat — immo id hodie fere postulat — quominus eadem haec doctrina ex primigeniis etiam textibus comprobetur et confirmetur, atque etiam quominus passim in auxilium iidem textus vocentur, quibus recta Sacrarum Litterarum significatio ubique magis in dies patefiat atque explanetur. Ac ne id quidem Tridentini Concilii decreto prohibetur, quominus nempe ad christifidelium usum et bonum et ad faciliorem divini eloquii intellegentiam, conversiones in vulgatas linguas conficiantur, eaeque etiam ex ipsis primigeniis textibus, ut iam multis in regionibus, approbante Ecclesiae auctoritate, laudabiliter factum esse novimus.

DE INTERPRETATIONE

15. Linguarum antiquarum cognitione et criticae artis subsidiis egregie instructus, exegeta catholicus ad illud accedat munus, quod ex omnibus ei impositis summum est, ut nempe germanam ipsam Sacrorum Librorum sententiam reperiat atque exponat. Quo in opere exsequendo ante oculos habeant interpretes sibi illud omnium maximum curandum esse, ut clare dispiciant ac definiant, quis sit verborum biblicorum sensus, quem *litteralem* vocant. Hanc *litteralem* verborum significationem omni cum diligentia per linguarum cognitionem iidem eruant, ope adhibita contextus, comparationisque cum assimilibus locis; quae quidem omnia in profanorum quoque scriptorum interpretatione in auxilium vocari solent, ut auctoris mens luculenter patescat. Sacrarum autem Litterarum exegetae, memores de verbo divinitus inspirato heic agi, cuius custodia et interpretatio ab ipso Deo Ecclesiae commissa est, non minus diligenter rationem habeant explanationum et declarationum magisterii Ecclesiae, itemque explicationis a Sanctis Patribus datae, atque etiam « analogiae fidei », ut Leo XIII in Encyclicis litteris *Providentissimus Deus* sapientissime animadvertit [26]. Singulari vero studio id agant, ut non tantum — id quod in quibusdam commentariis fieri dolemus — eas res exponant quae ad historiam, archaeologiam, philologiam ad aliasque huiusmodi disciplinas spectent; sed, illis quidem opportune allatis, quantum ad exegesin conferre possint, ostendant potissimum quae sit singulorum librorum vel textuum theologica doctrina de rebus fidei et morum, ita ut haec eorum explanatio non modo theologos doctores adiuvet ad fidei dogmata pro-

[26] LEONIS XIII *Acta* XIII, pp. 345-346; *Ench. Bibl.* n. 94-96.

ponenda confirmandaque, sed sacerdotibus etiam adiumento sit ad doctrinam christianam coram populo enucleandam, ac fidelibus denique omnibus ad vitam sanctam homineque christiano dignam agendam adserviat.

16. Talem cum dederint interpretationem, imprimis, ut diximus, theologicam, efficaciter illos ad silentium redigent, qui, asseverantes se vix quidquam in biblicis commentariis invenire, quod mentem ad Deum extollat, animum enutriat, interiorem vitam promoveat, ad spiritualem quamdam et mysticam, ut aiunt, interpretationem confugiendum esse dictitant. Quod quam parum recte profiteantur, ipsa multorum experientia docet, qui verbum Dei iterum atque iterum considerantes ac meditantes, suum animum perfecerunt, et erga Deum sunt vehementi amore permoti; idemque perpetua Ecclesiae institutio ac summorum Doctorum monita lucide ostendunt. Non omnis sane spiritualis sensus a Sacra Scriptura excluditur. Quae enim in Vetere Testamento dicta vel facta sunt, ita a Deo sapientissime sunt ordinata atque disposita ut praeterita spirituali modo ea praesignificarent, quae in novo gratiae foedere essent futura. Quare exegeta, sicut *litteralem,* ut aiunt, verborum significationem, quam hagiographus intenderit atque expresserit, reperire atque exponere debet, ita spiritualem etiam, dummodo rite constet illam a Deo fuisse datam. Deus enim solummodo spiritualem hanc significationem et novisse potuit, et nobis revelare. Iamvero eiusmodi sensum in Sanctis Evangeliis nobis indicat, nosque edocet divinus ipse Servator; hunc etiam, Magistri exemplum imitati, Apostoli loquendo scribendoque profitentur; hunc perpetuo tradita ab Ecclesia doctrina ostendit; hunc denique antiquissimus liturgiae usus declarat, ubicumque rite adhiberi potest notum illud pronuntiatum: Lex precandi lex credendi est. Hunc igitur spiritualem sensum, a Deo ipso intentum et ordinatum, exegetae catholici ea diligentia patefaciant ac proponant, quam divini verbi dignitas exposcit; alias autem translatas rerum significationes ne tamquam genuinum Sacrae Scripturae sensum proferant, religiose caveant. Nam etsi, in concionatoris praesertim obeundo munere, amplior quidam Sacri Textus usus translata verborum ratione habitus, ad res fidei et morum illustrandas et commendandas utilis esse potest, dummodo moderate ac sobrie fiat, nunquam tamen obliviscendum est hunc verborum Sacrae Scripturae usum eidem esse quasi externum et adiectum; eumdemque hodie potissimum non carere periculo, cum christifideles, ii nominatim qui tam sacris quam profanis disciplinis instructi sint, quaerant quid ipse

Deus in Sacris Litteris nobis significet, potius quam quid facundus orator vel scriptor, Bibliorum verbis dexteritate quadam adhibitis, exponat. Nec « vivus sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis » [27], calamistris indiget, vel humana accommodatione, ut animos moveat ac percellat; ipsae enim Sacrae Paginae, Dei afflante Spiritu exaratae, per se nativo abundant sensu; divina virtute ditatae, per se valent; superno decore ornatae, per se lucent ac splendent, dummodo ab interprete tam integre et accurate explicentur, ut omnes thesauri sapientiae et prudentiae, quae in eis latent, in lucem proferantur.

17. Qua in re praestanda catholicus exegeta egregie iuvari poterit sollerti illorum operum studio, quibus Sancti Patres, Ecclesiae Doctores, illustresque superiorum temporum interpretes Sacras Litteras explanarunt. Illi enim, etsi interdum eruditione profana et linguarum scientia minus instructi erant, quam nostrae aetatis interpretes, pro eo tamen, quod Deus in Ecclesia eis attribuit munere, suavi quadam eminent caelestium rerum perspicientia miroque mentis acumine, quibus divini eloquii profunda intime penetrant, et in lucem afferunt quidquid ad doctrinam Christi illustrandam sanctitatemque vitae promovendam conducere potest. Dolendum sane est pretiosos huiusmodi christianae antiquitatis thesauros non paucis e nostrorum temporum scriptoribus parum esse cognitos, neque historiae exegeseos cultores iam ea omnia peregisse, quae ad rem tanti momenti rite pervestigandam recteque aestimandam necessaria videantur. Utinam multi exsistant, qui catholicae Scripturarum interpretationis auctores et opera studiose perquirentes, ab iisdemque paene immensas congestas opes quasi exhaurientes, valide ad id conferant, ut et in dies magis appareat, quantopere illi divinam Sacrorum Librorum doctrinam perspexerint atque illustraverint, et hodierni quoque interpretes inde exemplum sumant opportunaque repetant argumenta. Sic enim tandem aliquando fiet et veterum doctrinae spiritualisque dicendi suavitatis, et recentiorum maioris eruditionis adultiorisque artis felix et fecunda coniunctio, novos utique fructus allatura in Divinarum Litterarum campo, nunquam satis exculto, nunquam exhausto.

---

[27] *Hebr.* IV, 12.

MUNERA INTERPRETUM NOSTRAE AETATIS

18. Ac praeterea nostra quoque tempora ad Sacras Litteras penitius et accuratius interpretandas aliquid conferre posse iure meritoque sperare licet. Non enim pauca, inter ea praesertim quae ad historiam spectant, aut vix, aut non satis explicata sunt a superiorum saeculorum explanatoribus, quippe quibus fere omnes notitiae deessent ad illa magis illustranda necessariae. Quam difficilia ipsis quoque Patribus et quasi impervia quaedam fuerint, illis ostenditur, ut alia mittamus, conatibus, quos multi ex iisdem iterarunt ut prima interpretarentur Geneseos capita; itemque ex repetitis illis a S. Hieronymo tentaminibus ita vertendi Psalmos, ut *litteralis*, seu ex verbis ipsis expressus, eorum sensus clare patefieret. Alii denique habentur libri vel sacri textus, quorum difficultates recens demum detexit aetas, postquam ex altiore rerum antiquarum cognitione novae sunt obortae quaestiones, quibus aptius in causam introspiciatur. Perperam igitur quidam, scientiae biblicae condiciones haud recte perspicientes, nihil iam catholico nostrae aetatis exegetae dictitant ad ea addendum superesse, quae christiana antiquitas protulerit: cum, ex contrario, nostra haec tempora adeo multa proposuerint, quae nova investigatione novoque examine indigeant, et actuosum hodierni interpretis studium non parum exstimulent.

19. Nostra siquidem aetas, ut novas aggerit quaestiones novasque difficultates, ita, favente Deo, nova etiam praebet exegeseos subsidia et adiumenta. Inter haec illud videtur peculiari mentione dignum quod catholici theologi, Sanctorum Patrum ac potissimum Angelici Communisque Doctoris doctrinam secuti, inspirationis biblicae naturam et effectus aptius perfectiusque explorarunt ac proposuere, quam praeteritis saeculis fieri assoleret. Ex eo enim edisserendo profecti quod hagiographus in sacro conficiendo libro est Spiritus Sancti ὄργανον seu instrumentum, idque vivum ac ratione praeditum, recte animadvertunt illum, divina motione actum, ita suis uti facultatibus et viribus, « ut propriam uniuscuisque indolem et veluti singulares notas ac lineamenta »[28] ex libro, eius opera orto, facile possint omnes colligere. Interpres igitur omni cum cura, ac nulla quam recentiores pervestigationes attulerint luce neglecta, dispicere enitatur, quae propria fuerit sacri scriptoris indoles ac vitae condicio, qua floruerit aetate, quos fontes adhi-

[28] BENEDICT. XV, *Enc. Spiritus Paraclitus; Acta Ap. Sedis* XII (1920), p. 390; *Ench. Bibl.* n. 461.

buerit sive scriptos sive ore traditos, quibusque sit usus formis dicendi. Sic enim satius cognoscere poterit quis hagiographus fuerit, quidque scribendo significare voluerit. Neque enim quemquam latet summam interpretandi normam eam esse, qua perspiciatur et definiatur, quid scriptor dicere intenderit, ut egregie Sanctus Athanasius monet: « Hic, ut in omnibus aliis divinae Scripturae locis agere convenit, observandum est, qua occasione locutus sit Apostolus, quae sit persona, quae res cuius gratia scripsit, accurate et fideliter attendendum est, ne quis illa ignorans, aut aliud praeter ea intellegens, a vera aberret sententia »[29].

20. Quisnam autem sit *litteralis* sensus, in veterum Orientalium auctorum verbis et scriptis saepenumero non ita in aperto est, ut apud nostrae aetatis scriptores. Nam quid illi verbis significare voluerint, non solis grammaticae, vel philologiae legibus, nec solo sermonis contextu determinatur; omnino oportet mente quasi redeat interpres ad remota illa Orientis saecula, ut subsidiis historiae, archaeologiae, ethnologiae aliarumque disciplinarum rite adiutus, discernat atque perspiciat, quaenam litteraria, ut aiunt, genera vetustae illius aetatis scriptores adhibere voluerint, ac reapse adhibuerint. Veteres enim Orientales, ut quod in mente haberent exprimerent, non semper iisdem formis iisdemque dicendi modis utebantur, quibus nos hodie, sed illis potius, qui apud suorum temporum et locorum homines usu erant recepti. Hi quinam fuerint, exegeta non quasi in antecessum statuere potest, sed accurata tantummodo antiquarum Orientis litterarum pervestigatione. Haec porro, postremis hisce decenniis maiore, quam antea, cura et diligentia peracta, clarius manifestavit, quaenam dicendi formae antiquis illis temporibus adhibitae sint, sive in rebus poëtice describendis, sive in vitae normis et legibus proponendis, sive denique in enarrandis historiae factis atque eventibus. Haec eadem pervestigatio id quoque iam lucide comprobavit, israëliticum populum inter ceteras Orientis veteres nationes in historia rite scribenda, tam ob antiquitatem, quam ob fidelem rerum gestarum relationem singulariter praestitisse; quod quidem ex divinae inspirationis charismate atque ex peculiari historiae biblicae fine, qui ad religionem pertinet, profecto eruitur. Nihilominus etiam apud Sacros Scriptores, sicut apud ceteros antiquos, certas quasdam inveniri exponendi narrandique artes, certos quosdam idiotismos, linguis praesertim semiticis proprios, *approximationes* quae dicuntur, ac certos loquendi mo-

[29] *Contra Arianos* I, 54; *PG.* XXVI, col. 123.

dos hyperbolicos, immo interdum etiam paradoxa, quibus res menti firmius imprimantur, nemo sane miretur, qui de inspiratione biblica recte sentiat. A Libris enim Sacris nulla aliena est illarum loquendi rationum, quibus apud veteres gentes, praesertim apud Orientales, humanus sermo ad sententiam exprimendam uti solebat, ea tamen condicione, ut adhibitum dicendi genus Dei sanctitati et veritati haud quaquam repugnet, quemadmodum, pro sagacitate sua, iam ipse Angelicus Doctor hisce verbis animadvertit: « In Scriptura divina traduntur nobis per modum, quo homines solent uti »[30]. Sicut enim substantiale Dei Verbum hominibus simile factum est quoad omnia « absque peccato »[31], ita etiam Dei verba, humanis linguis expressa, quoad omnia humano sermoni assimilia facta sunt, excepto errore; quod quidem utpote providentis Dei συγκατάβασιν seu « condescensionem », iam Sanctus Ioannes Chrysostomus summis laudibus extulit, et in Sacris Libris haberi iterum iterumque asseveravit[32].

21. Quapropter catholicus exegeta, ut hodiernis rei biblicae necessitatibus rite satisfaciat, in exponenda Scriptura Sacra, in eademque ab omni errore immuni ostendenda et comprobanda, eo quoque prudenter subsidio utatur, ut perquirat quid dicendi forma seu litterarum genus, ab hagiographo adhibitum, ad veram et genuinam conferat interpretationem; ac sibi persuadeat hanc officii sui partem sine magno catholicae exegeseos detrimento neglegi non posse. Non raro enim — ut hoc solummodo attingamus — cum Sacros Auctores ab historiae fide aberrasse, aut res minus accurate rettulisse obiurgando nonnulli iactant, nulla alia de re agi comperitur, nisi de suetis illis nativis antiquorum dicendi narrandique modis, qui in mutuo hominum inter se commercio passim adhiberi solebant, ac reapse licito communique more adhibebantur. Iusta igitur mentis aequitas postulat, ut haec, cum in divino eloquio, quod pro hominibus verbis humanis exprimitur, inveniantur, non magis erroris arguantur, quam cum eadem in cotidiano vitae usu habeantur. Cognitis igitur accurateque aestimatis antiquorum loquendi scribendique modis et artibus, multa dissolvi poterunt, quae contra Divinarum Litterarum veritatem fidemque historicam opponuntur; ne-

---

[30] *Comment. ad Hebr.* cap. I, lectio 4.

[31] *Hebr.* IV, 15.

[32] Cf. v. gr. *In Gen.* I, 4 (PG. LIII, col. 34-35); *In Gen.* II, 21 (*ib.* col. 121); *In Gen.* III, 8 (*ib.*, col. 135); *Hom. 15 in Ioan.*, ad I, 18 (*PG.* LIX, col. 97 sq.).

que minus apte eiusmodi studium ad Sacri Auctoris mentem plenius illustriusque perspiciendam conducet.

22. Nostri igitur rerum biblicarum cultores in hanc quoque rem animum debita diligentia intendant, neque quidquam omittant, quod novitatis attulerint, cum archaeologia, tum antiqua rerum gestarum historia priscarumque litterarum scientia, quodque aptum sit, quo melius veterum scriptorum mens, eorumque ratiocinandi, narrandi scribendique modus, forma et ars cognoscatur. Qua in causa laicorum etiam ordinis catholici viri animadvertant se non tantum ad profanae doctrinae utilitatem conferre, sed de re quoque christiana optime mereri, si omni, qua par est, sedulitate ac studio rebus antiquis explorandis et investigandis se dedant, et ad quaestiones id genus, hucusque minus claras et perspicuas, enodandas pro viribus adiuvent. Omnis enim humana cognitio, etiamsi non sacra, ut suam habet quasi insitam dignitatem et excellentiam — quippe quae sit quaedam finita participatio infinitae cognitionis Dei — ita novam altioremque dignitatem et quasi consecrationem assequitur, cum ad res ipsas divinas clariore luce collustrandas adhibetur.

RATIO TRACTANDI QUAESTIONES DIFFICILIORES

23. Per provectam illam, de qua supra diximus, orientalium rerum antiquarum explorationem, per ipsius primigenii textus accuratiorem investigationem, itemque per ampliorem diligentioremque tum linguarum biblicarum, tum earum quoque omnium, quae ad Orientem pertinent, cognitionem, feliciter, suffragante Deo, contigit, ut non paucae ex quaestionibus illis, quas Decessoris Nostri imm. rec. Leonis XIII aetate, contra Sacrorum Librorum *authentiam*, antiquitatem, integritatem, fidemque historicam critici ab Ecclesia alieni, vel eidem etiam adversantes habuere, hodie iam expeditae ac solutae sint. Exegetae enim catholici, iisdem doctrinae armis recte usi, quibus adversarii non raro abutebantur, illas protulerunt interpretationes, quae et catholicae institutioni genuinaeque a maioribus traditae sententiae congruae sunt, et una simul pares evasisse videntur difficultatibus, quas sive novae explorationes novaque inventa attulerint, sive antiquitas nostris temporibus enodandas reliquerit. Inde autem evenit, ut Bibliorum auctoritatis et veritatis historicae fiducia, tot impugnationibus apud quosdam aliquatenus labefactata, hodie apud catholicos in integrum restituta sit; quin immo scriptores non desunt etiam non catholici,

qui inquisitionibus sobrio et aequo animo institutis, ad id adducti sint ut, relictis recentiorum placitis, ad antiquiores sententias, saltem hic illic, redierint. Quae rerum mutatio magna ex parte indefesso illi debetur labori, quo catholici Sacrarum Litterarum explanatores, difficultatibus omnisque generis obstaculis minime perterriti, totis viribus contenderunt, ut iis, quae hodierna eruditorum hominum pervestigatio, sive in archaeologiae, sive in historiae ac philologiae rebus ad novas quaestiones solvendas attulisset, debito modo uterentur.

24. Nemo tamen miretur non omnes adhuc esse difficultates expeditas atque evictas, sed graves etiam hodie quaestiones catholicorum exegetarum mentes non parum agitare. Quam ad rem non est profecto concidendum animo; neque est obliviscendum, in humanis disciplinis rem non aliter se habere atque in rerum natura: videlicet incepta paulatim crescere, ac non posse nisi post multos labores colligi fructus. Ita factum est, ut quaedam, quae elapsis temporibus non solutae ac suspensae haberentur disputationes, nostra demum aetate, progredientibus studiis, feliciter enodatae sint. Quamobrem fore spes est, ut illae etiam, quae nunc maxime implicatae maximeque arduae videantur, constanti conamine tandem aliquando plena luce pateant. Quodsi optata enodatio diu tardet, nec nobis arrideat, sed forte posteris assequendus rerum felix relinquatur exitus, nemo idcirco succenseat, cum id ad nos quoque pertinere sit aequum, quod Patres, ac potissimum Augustinus [33], suo tempore monuere: Deum nempe Sacros, quos ipse inspiravit, Libros consulto difficultatibus adspersisse, ut et intentius ad eos evolvendos et perscrutandos excitaremur, et salubriter mentis nostrae limites experti, debita animi demissione exerceremur. Nihil igitur mirum, si unius alteriusve quaestionis nullum unquam habebitur responsum plane perfectum, cum interdum agatur de rebus obscuris et a nostris temporibus nostraque experientia nimis longe remotis; et cum etiam exegesis, sicut ceterae graviores disciplinae, sua habere possit secreta, quae mentibus nostris impervia, quibusvis conatibus aperiri nequeant.

25. Hac tamen in rerum condicione catholicus interpres, actuoso fortique suae disciplinae amore actus, ac Sanctae Matri Ecclesiae sincere devotus, neutiquam retineri debet, quominus difficiles quaestiones, hucusque nondum enodatas, iterum atque iterum aggrediatur, non modo ut, quae ab adversariis oppo-

[33] Cf. S. Augustr., *Epist.* 149 ad Paulinum, n. 34 (*PL.* XXXIII, col. 644); *De diversis quaestionibus*, q. 53, n. 2 (*ib.* XL, col. 36); *Enarr. in Ps.* 146, n. 12 (*ib* XXXVII, col. 1907).

nantur, propulset, sed ut solidam etiam explicationem reperire enitatur, quae et cum Ecclesiae doctrina, cum iisque nominatim, quae de Sacra Scriptura ab omni errore immuni tradita sunt, fideliter concordet, et certis quoque profanarum disciplinarum conclusionibus debito modo satisfaciat. Horum autem strenuorum in vinea Domini operariorum conatus non solummodo aequo iustoque animo, sed summa etiam cum caritate iudicandos esse ceteri omnes Ecclesiae filii meminerint; qui quidem ab illo haud satis prudenti studio abhorrere debent, quo quidquid novum est, ob hoc ipsum censetur esse impugnandum, aut in suspicionem adducendum. Illud enim imprimis ante oculos habeant, in normis ac legibus ab Ecclesia datis, de fidei morumque doctrina agi; atque inter multa illa, quae in Sacris Libris, legalibus, historicis, sapientialibus et propheticis proponuntur, pauca tantum esse quorum sensus ab Ecclesiae auctoritate declaratus sit, neque plura ea esse, de quibus unanimis Sanctorum Patrum sit sententia. Multa igitur remanent, eaque gravissima, in quibus edisserendis et explanandis catholicorum interpretum acumen et ingenium libere exerceri potest ac debet, ut ad omnium utilitatem, ad maiorem in dies doctrinae sacrae profectum, et ad Ecclesiae defensionem et honorem ex suo quisque viritim conferat. Haec vera filiorum Dei libertas, quae et Ecclesiae doctrinam fideliter teneat, et quaecumque profana attulerit cognitio, tamquam Dei donum grato accipiat animo et adhibeat, studio utique omnium elata ac sustentata, omnis sinceri fructus omnisque in scientia catholica solidi profectus condicio est et fons, ut praeclare admonet decessor Noster fel. rec. Leo XIII cum dicit: « Nisi salva consensione animorum collocatisque in tuto principiis, non licebit ex variis multorum studiis magnos exspectare huius disciplinae progressus »[34].

USUS S. SCRIPTURAE IN INSTRUENDIS FIDELIBUS

26. Qui ingentes illos consideraverit labores, quos exegesis catholica per duo fere annorum milia suscepit, ut verbum Dei, per Sacras Litteras hominibus impertitum, penitius cotidie perfectiusque intellegatur, vehementiusque adametur, facile is sibi persuaserit christifidelibus, ac praesertim sacerdotibus, grave eiusmodi officium esse, ut thesauro illo a summis ingeniis per

---

[34] Litt. Apost. *Vigilantiae;* Leonis XIII *Acta* XXII, p. 237; *Ench. Bibl.* n. 136.

tot saecula congesto, copiose et sancte utantur. Sacros enim Libros Deus hominibus non ideo concessit, ut eorum satisfaceret curiositati, vel ut studendi investigandique praeberet argumentum, sed quemadmodum animadvertit Apostolus, ut divina haec eloquia nos possent « instruere ad salutem per fidem quae est in Christo Iesu » et « ut perfectus esset homo Dei ad omne opus bonum instructus » [35]. Sacerdotes igitur, quibus aeternae fidelium salutis procuratio commissa est, postquam sacras paginas diligenti studio ipsi perquisierint, suasque precando meditandoque effecerint, supernas divini verbi opes sermonibus, homiliis, exhortationibus sedulo promant; iidemque christianam doctrinam sententiis ex Sacris Libris haustis confirment, praeclaris exemplis e sacra historia, ac nominatim e Christi Domini Evangelio illustrent, atque haec omnia — accommodationibus illis, privato arbitrio inductis et ex rebus longe alienis expetitis, quae quidem divini sermonis non usus sed abusus sunt, studiose diligenterque vitatis — adeo eloquenter, adeo dilucide clareque proponant, ut fideles non solum ad vitam recte conformandam moveantur et incendantur, sed summam etiam animo concipiant Scripturae Sacrae venerationem. Hanc porro venerationem sacri Antistites in fidelibus sibi commissis satius in dies augere et perficere studeant, provectis omnibus inceptis illis, quibus viri, apostolico studio repleti, Sacrorum Librorum inter catholicos cognitionem et amorem excitare ac fovere laudabiliter nituntur. Faveant igitur atque auxilium praestent piis illis consociationibus, quibus propositum sit Sacrarum Litterarum, Evangeliorum potissimum, edita exemplaria inter fideles diffundere, eorumque cotidiana lectio studiosissime curare ut in christianis familiis rite sancteque fiat; Sacram Scripturam, in vulgatas hodie linguas probante Ecclesiae auctoritate conversam, et alloquio et usu, ubi per liturgiae leges licet, efficaciter commendent; ac publicas de rebus biblicis dissertationes, seu acroases, aut ipsi habeant, aut ab aliis apprime peritis sacris oratoribus habendas curent. Commentarios vero, qui tanta cum laude tantoque cum fructu in variis terrarum orbis partibus statis temporibus eduntur, sive ad quaestiones ex scientiae ratione tractandas et exponendas, sive ad huiusmodi investigationum fructus, vel ministerio sacro, vel fidelium utilitati accommodandos, omnes sacrorum administri pro viribus sustentent et inter varios gregis sui coetus et ordines apposite divulgent. Qui quidem sacrorum administri haec omnia, et quaecum-

[35] Cf. II *Tim.* III, 15, 17.

que id genus alia apostolicum studium ac sincerus divini verbi amor ad excelsum hoc propositum apta invenerit, efficax sibi in animorum cura auxilium esse futurum persuasum habeant.

27. Neminem autem fugit haec omnia a sacerdotibus rite perfici non posse, nisi ipsimet, dum in Seminariis commorati sunt, Sacrae Scripturae actuosum ac perennem imbiberint amorem. Quare sacrorum Antistites, quibus Seminariorum suorum paterna incumbit cura, diligenter vigilent, ut in hac quoque re nihil omittatur, quod ad eiusmodi finem assequendum iuvare possit. Sacrae autem Scripturae magistri totam de re biblica institutionem in Seminariis ita perficiant, ut adulescentes ad sacerdotium atque ad divini verbi ministerium efformandos ea Sacrarum Litterarum cognitione instruant, eoque erga illas imbuant amore, sine quibus uberes apostolatus fructus haberi nequeunt. Quare exegetica explanatio ad rationem potissimum theologicam spectet, supervacaneis vitatis disputationibus, atque iis praetermissis, quae curiositatem potius nutriant, quam veram foveant doctrinam solidamque pietatem; sensum *litteralem*, quem vocant, ac praesertim theologicum, ita solide proponant, ita scite explicent, ita ardenter inculcent, ut id quodammodo eorum alumnis contingat, quod Iesu Christi discipulis evenit Emmaus euntibus, qui, auditis Magistri verbis, exclamarunt: « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum aperiret nobis Scripturas? » [36]. Sic Divinae Litterae futuris Ecclesiae sacerdotibus fiant et propriae cuiusque vitae spiritualis fons purus atque perennis, et sacri concionandi muneris, quod suscepturi sunt, alimentum ac robur. Quod quidem si gravissimae huius disciplinae in Seminariis magistri assecuti fuerint, se ad animorum salutem, ad rei catholicae profectum, ad Dei honorem et gloriam summopere contulisse, seseque opus perfecisse apostolico officio coniunctissimum, laeti sibi persuadeant.

28. Haec, quae diximus, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, si omni aetate necessaria sunt, multo magis profecto nostris urgent luctuosis temporibus, dum populi ac nationes fere omnes calamitatum pelago merguntur, dum immane bellum ruinis ruinas caedesque caedibus accumulat, dumque, acerbissimis populorum invicem excitatis odiis, in non paucis summo dolore cernimus non modo christianae animorum moderationis caritatisque, sed ipsius etiam humanitatis restingui sensum. His autem letiferis humanae consortionis vulneribus quisnam alius mederi potest, nisi ille, quem Apostolorum Princeps, amore ac

[36] Luc. XXIV, 32.

fiducia plenus, his verbis appellat: « Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes »[37]. Ad hunc igitur oportet miserentissimum Redemptorem nostrum totis viribus reducere omnes: ipse enim est maerentium consolator divinus; ipse est, qui docet omnes — sive qui publica auctoritate praestant, sive qui oboediendi obsequendique tenentur officio — veri nominis probitatem, integram iustitiam, generosamque caritatem; ipse denique est, ipseque unus, qui firmum exsistere potest pacis tranquillitatisque fundamentum atque praesidium. « Fundamentum enim aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus »[38]. Hunc autem salutis auctorem Christum eo plenius cognoscent homines, eo impensius adamabunt, eo fidelius imitabuntur, quo studiosius ad Sacrarum Litterarum, Novi praesertim Testamenti, cognitionem meditationemque permoti erunt. Nam, ut Stridonensis ait: « Ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est »[39], et « si quidquam est, quod in hac vita sapientem virum teneat, et inter pressuras et turbines mundi aequo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor, meditationem et scientiam Scripturarum »[40]. Hinc enim qui adversis afflictisque rebus fatigantur atque opprimuntur, vera haurient solacia, divinamque ad patiendum, ad sustinendum virtutem; hinc — ex Sanctis nempe Evangeliis — omnibus adest Christus, summum atque perfectum iustitiae, caritatis, misericordiaeque exemplar; ac laniato et trepido humano generi patent divinae illius gratiae fontes, qua posthabita ac neglecta, populi populorumque rectores rerum tranquillitatem animorumque concordiam nullam inire, nullam stabilire poterunt; inde denique omnes discent Christum, « qui est caput omnis principatus et potestatis »[41] et « qui factus est nobis sapientia a Deo et iustitia et sanctificatio et redemptio »[42].

CONCLUSIO

29. His igitur, quae ad Sacrarum Scripturarum studia hodiernis necessitatibus accommodanda spectant, expositis et commendatis, iam reliquum est, Venerabiles Fratres ac dilecti filii,

---

37 Ioan. VI, 69.
38 I *Cor.* III, 11.
39 S. Hieronymus, *In Isaiam, prologus; PL.* XXIV, col. 17.
40 Id., *In Ephesios, prologus; PL.* XXVI, col. 439.
41 *Col.* II, 10.
42 I *Cor.* I, 30.

ut Bibliorum cultoribus, quotquot devoti sunt Ecclesiae filii, eiusque doctrinae et normis fideliter obsequuntur, non modo paterna gratulemur voluntate quod ad munus adeo excelsum delecti et vocati sint, sed animum etiam addamus, ut opus feliciter susceptum, renovatis in dies viribus, omni studio, omnique cura exsequi pergant. Excelsum dicimus munus: quid enim sublimius, quam ipsum verbum Dei, Spiritu Sancto inspirante hominibus datum, perscrutari, explicare, fidelibus proponere, ab infidelibus defendere? Pascitur hoc spirituali cibo ipse interpretis animus, nutriturque « ad commemorationem fidei, ad consolationem spei, ad exhortationem caritatis »[43]. « Inter haec vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quaerere, nonne vobis videtur iam hic in terris regni caelestis habitaculum? »[44] Pascantur hoc eodem cibo fidelium quoque mentes, quae inde Dei cognitionem et amorem, ac proprii cuiusque sui animi profectum et felicitatem hauriant. Omni igitur mente huic sancto negotio divini eloquii explanatores se dedant. « Orent ut intellegant »[45]; laborent, ut in Sacrarum Paginarum secreta altius in dies introspiciant; doceant et concionentur, ut verbi Dei thesauros aliis etiam reserent. Quae revolutis saeculis praeclari illi Sacrae Scripturae interpretes magno cum fructu praestitere, id hodierni quoque pro facultate aemulentur, ita quidem ut, sicut elapsis temporibus, ita etiam in praesens eximios Ecclesia habeat in Divinis exponendis Litteris doctores; atque christifideles, eorum opera ac labore, omnem Sacrarum Scripturarum percipiant lucem, exhortationem, laetitiam. Quo in arduo sane ac gravi munere ipsi quoque « solatio Sanctos Libros »[46] sibi habeant, ac propositae mercedis sint memores: quandoquidem qui « docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates »[47].

30. Interea vero, dum omnibus Ecclesiae filiis, ac nominatim biblicae disciplinae praeceptoribus, adulescenti clero sacrisque oratoribus vehementer optamus, ut eloquia Dei perpetuo meditantes, gustent quam bonus et suavis sit spiritus Domini[48];

---

[43] Cf. S. Aug., *Contra Faustum* XIII, 18; *PL.* XLII, col. 294; *CSEL.* XXV, p. 400.

[44] S. Hieron., *Ep.* 53, 10; *PL.* XXII, col. 549; CSEL. LIV, p. 463.

[45] S. Aug., *De doctr. christ.* III, 56; *PL.* XXXIV, col. 89.

[46] I *Mach.* XII, 9.

[47] Dan. XII, 3.

[48] Cf. *Sap.* XII, 1.

caelestium munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis singulis universis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, Apostolicam Benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxx mensis Septembris, in festo S. Hieronymi, Doctoris in exponendis Sacris Scripturis Maximi, anno MDCCCCXXXXIII, Pontificatus Nostri quinto.

PIUS PP. XII

Annotationes

Litterae Encyclicae *Divino afflante Spiritu,* nuper a S. P. Pio XII feliciter regnante ad universum Catholicum Orbem datae, originem quidem habent, ut ita dicam, contingentem, scilicet quinquagenariam commemorationem Encyclicae *Providentissimus Deus* a Leone XIII die 18 Novembris 1893 emissae; a rebus vero, quae in eis dicuntur et commendantur, momentum acquirunt minime leve ac transitorium, sed eiusmodi, ut in studia divinae Scripturae a catholicis excolenda vestigium imprimant sane profundum ac diu mansurum.

Pro nuper dicta occasione originis in duas partes suapte natura dividuntur hae Litterae: primam historicam, quae acta Summorum Pontificum Leonis XIII eiusque Successorum ad studia biblica tutanda ac promovenda grato animo recolit et debito honore prosequitur; alteram appellare possumus doctrinalem, quatenus qui status nunc sit biblicorum studiorum edocet et quid sit catholicis viris agendum indicit. De parte priore, etsi factis mentione dignis referta est et tanquam praecedentium actorum compendium magnam praebet utilitatem, vix tamen attinet hic quidquam addere, cum iure aestimemus facta, de quibus agitur, satis esse nostris lectoribus nota. Alteram partem, quae, si quantitatem spectes duplo cum dimidio longior est prio-

re (proportione 5 ad 2), si rerum novitatem ac pondus momenti est quam maximi, iuvat in summa capita referre et ex his, quantum per nos fieri potest, ea quae sunt maxime attentione digna, opportunis explicationibus in sua luce collocare [1].

1ª *De textibus primigeniis et critica textuali.*

Quid sit nostris temporibus catholico viro agendum, qui S. Scripturas intellegere et explanare velit, recto ordine aggressus dicere Summus Pontifex et Sanctorum Ecclesiae Patrum vestigiis insistens, id ante omnia commendat ut sacrorum auctorum sensa ex ipso fonte hauriantur per « recursum ad textus primigenios » (12). Nequent autem illi fontes adiri nisi duobus quodammodo pedibus, hinc linguarum veterum cognitione, inde critica textuali.

Veterum linguarum nomine, quarum cognitio ad S. Scripturas intellegendas nostris temporibus maxime opportuna est, primo quidem loco intendit Summus Pontifex hebraicam et graecam, quibus sacri Libri primitus conscripti sunt. At non iis solis coarctat commendationem suam; immo « ceterorum quoque orientalium sermonum » non semel mentionem facit. Porro inter illas veterum Orientalium linguas, quae huc faciunt, proxime ad hebraicam accedunt (aliis alia de causis et rationibus) accadica sive Assyriorum et Babyloniorum, syriaca et arabica. Nam accadica, praeterquamquod et vetustissima est et hebraicae plus uno vinculo speciali cognata, accessum praebet ad monumenta omnis generis: historica, legalia, poëtica, religiosa, litteris cuneiformibus tradita, e quibus multum lucis deducere licet ad Veteris Testamenti libros penitius intellegendos. Simili de causa commendanda venit vetus lingua aegyptiaca (hieroglyphica). Cum accadica quadantenus certat arabica lingua de utilitate ad profundiorem he-

[1] Solo numero citantur paragraphi Encyclicae, prouti in praecedenti impressione signantur ad marginem.

braicae linguae cognitionem ex originibus petendam; ceterum directas ad S. Scripturam relationes minime omnium habet. Syriaca e contrario plurimum directe iuvat studia biblica tum variis s. Librorum translationibus, tum bonis in eosdem commentariis, tum denique copiosissima scriptorum segete de rebus christianae fidei, qua tota fere constat illius gentis litteratura. Ob antiquas ex optimis codicibus graecis utriusque Testamenti translationes non parvam demum utilitatem afferunt sermones copticus (seu verius coptici) et aethiopicus. Ad hos omnes sermones pro sua cuiusque facultate addiscendos, ut sapienter advertit ipse Summus Pontifex, plurima nunc suppetit copia subsidiorum.

Ad exercendam circa s. Scripturae libros criticam textualem nos movere debent (ait, ad substantiam quod attinet, summus fidei Magister) ipsa reverentia verbo divino debita, exemplum doctorum, qui eam artem scriptis profanis cum laude admoverunt, denique ipsi progressus eius artis atque perfectio recenter acquisita, qua fit, « ut quilibet abusus facile detegi possit » (13). Porro non sunt cursim praetereunda verba, quibus in hisce Litteris Encyclicis definitur criticae textualis obiectum, nempe « ut textum sacrum, quantum fieri potest, quam perfectissime restituat, a depravationibus infirmitate amanuensium illatis eum expurget, eumque a glossis et lacunis, a verborum inversionibus ac repetitionibus ab aliisque omne genus mendis, quae in litteras per multa secula traditas irrepere solent, pro viribus liberet » (ib.). Sic enim ex una quidem parte stricti ponuntur limites immodico cuidam emendandi pruritui et coercentur eorum libera ingenia, qui correctionibus suis sententiam concinniorem vel locutionem elegantiorem sectantes non tam amanuensium vitia expellere quam ipsius s. auctoris dictionem reformare velle videntur. Ex altera vero parte ostenditur quam late pateat campus iustae et debitae emendationi, quae pertingere potest ad glossas sive interpolationes detegendas et amovendas, et

e contrario ad lacunas, si quid omissum forte esse iure statuatur, naviter supplendas.

Verum in hac re fortasse mirabitur potius quispiam, quod critica textualis dicatur hodie « stabilitatem et securitatem attigisse » et « ad tantam perfectionem pervenisse », cum aliunde audierit vel in editis scriptis legerit, quantopere inter se dissideant et digladientur docti viri, qui iudicia sua protulerunt, e. gr. occasione recentium editionum sive textus graeci Novi Testamenti, sive latinae vulgatae interpretationis. Attamen, qui res intimius noverit et pacatius consideraverit, fiduciam illam in criticae textualis profectibus libens amplectetur. Namque hodie in dies magis in pretio habetur ac viget in actu methodus genealogica, quae adhuc in saeculo praeterito fere iacebat vel ignota vel neglecta. Ea consistit in hoc ut testes traditionis, in primis codices sacri textus, in classes redigantur, e classibus inter se comparatis colligatur lectio exemplaris seu fontis communis unde vel omnes vel earum plures profluxerunt, atque ita restitutis uno vel pluribus archetypis quasi per gradus ad ipsam s. auctoris scriptionem deveniatur. In huiusmodi testium discussione primam ac laboriosiorem quidem operam ponit haec methodus, sed non unicam; simili enim processu ipsae inter se lectiones variae examinari possunt ac debent, ut quae ex qua oriri potuerit dignoscatur, atque ita parens omnium, nempe ipsa primitiva lectio, detegatur. Quod si (uti saepe accidere potest) per solum hoc examen internum quae a qua verisimilius derivetur manet ambiguum, illud certe a viro criticae dedito exposcit haec methodus, ut quod ipse putat in verbis traditis esse mendum ostendat quomodo seu qua via a lectione, quam uti genuinam proponit, descendere potuerit. Hac duplici via genealogica, quae circa res ipsas versatur et critici arbitrio minime indulget, si procedatur, procul dubio fiet ut in critica textus exercenda « quilibet abusus facile detegi possit », adeoque sive praecaveri sive expungi.

His et aliis sapienter dictis, et illi, qui exercere criticam possunt, mónentur qua cautela procedere debeant, et ceteri, qui eo muneri sunt impares, ne facile criticorum opera offendantur aut illis obtrectent.

1b *De usu et authentia Vulgatae latinae.*

Post commendatum ita textus primigenii studium, opportune in Encyclica (14) removetur scrupulus, qui superesse in alicuius animo posset ex imperato usu Vulgatae latinae eademque declarata authentica per notum Concilii Tridentini decretum. Ostenditur enim ex ipsis sacrae Synodi actis sententiam Concilii fuisse ut recursus ad primigenios textus non modo non impediretur sed immo commendaretur; cuius quidem recursus utilitas atque adeo necessitas nostris temporibus increvit. Multum etiam confert ad res recte definiendas atque animos pacandos quod hic authentia Vulgatae a S. Concilio asserta declaretur ordinis non critici sed iuridici et validitas memoretur esse ad res fidei et morum coarctata. Hinc enim procul dubio fiet ut controversiae quae de vi ac sensu illius Tridentini decreti olim exardebant, in posterum feliciter componantur. Neque minus grata profecto accidet plerisque commendatio translationum e textibus primigeniis in linguas modernas, qua tota haec Encyclicae paragraphus clauditur.

2. *De S. Scripturae sensibus et interpretatione.*

Ad sacrorum Librorum explanationem, de qua proxime venit agendum, Summus Pontifex primo breviter quidem sed luculenter principia memorat interpretationis tam rationalis, quae philologia et archaeologia potissimum regitur, quam supernaturalis, quae christianae fidei documentis innititur (15). Tum haec decernit pro nostrorum

temporum opportunitate notatu digna. Expositio sit non tantum historica, sed etiam, et praecipue, theologica, hoc est quae ad doctrinam de rebus fidei et morum in singulis locis assertam attendat. Hinc praeterea, post explicatum diligenter sensum, qui litteralis dicitur, non negligatur, quoties locum habet, sensus qui spiritualis appellari solet (16). De hoc vero tria definiuntur bene prae oculis habenda. Primo is consistit, seu verius fundatur, in eo quod Deus ita Veteris Testamenti dicta vel facta ordinavit, ut praefigurarent Novum. Sumitur ergo hic « sensus spiritualis » in ea significatione atque ambitu, quo illum asserit Doctor Angelicus in fundamentali illa Summae theol. partis primae quaestione prima articulo decimo, ut nempe ille intellegatur sensus, qui « typicus » alio nomine venit. Secundo sensus hic profundior, cum pendeat a positiva institutione Dei, quibus dictis vel factis subsit, ex ipsis revelationis fontibus constare debet, non temere et ubique supponendus est. Tertio alii diversi generis sensus spirituales sive, ut verba sonant Encyclicae, « aliae translatae rerum significationes », permitti poterunt concionatori, et quidem non sine magna cautela, ne s. Scriptura hisce nostris difficilibus temporibus contemptui exponatur; interpreti S. Librorum minus conveniunt; certe non sunt tradendi uti genuini s. Scripturae sensus. Inter has « translatas rerum significationes » reponendae sunt, puto, illae saltem, quae trahuntur a symbolica rerum et numerorum potestate necnon ab etymologia nominum proprium, olim a multis divini verbi enarratoribus exculta.

3. *De indole scriptoris et genere scriptionis.*

Ad ea, quae nostrorum temporum peculiaria sunt, deveniens Summus Pontifex animadvertit per nova reperta et plurium disciplinarum progressum factum esse ut haec nostra aetas possit non pauca nec spernenda ad meliorem

S. Scripturae intellegentiam conferre, quae neglegere catholico interpreti nefas sit (18). Illa enim plurima, quae ex nuper detectis antiquitatis monumentis ad cognitionem biblicorum temporum eliciuntur, mirum quantum iuvant ad mentem sacrorum auctorum multis in locis rectius et plenius assequendam. E multis quae in hanc rem dici possent, duo praesertim inculcat Encyclica, alterum ad ipsum scriptorem, alterum ad genus scriptionis pertinentia. Ad sacrum scriptorem quod spectat, genuino conceptui biblicae inspirationis insistens advertit per divinum afflatum sacri scriptoris ingenium elevari quidem, sed non mutari, adeo ut propria uniuscuiusque indoles in eius scriptis tamquam reflexa conspiciatur. Inde fit ut etiam hagiographi suum quisque servent stilum, linguam, totam denique concipiendi et dicendi rationem, qua accurate animadversa et eorum dicta perfectius percipi et multae quaestiones apte solvi possint.

Ceterum particularis illa uniuscuiusque scriptoris indoles regebatur a communi quadam narrandi scribendique ratione, forma et arte, qualem viguisse apud veteris Orientis populos, Hebraeos aeque ac finitimas gentes, monumenta in illis regionibus nuper effossa nos abunde docuerunt. Hinc utilitas, immo necessitas attendendi ad genera litteraria a sacris auctoribus adhibita, de quibus ob novitatem rei fusiori calamo et fervida quadam instantia loquuntur hae Litterae Encyclicae. Hinc enimvero pendet saepe sacrorum Librorum non tantum recta interpretatio sed etiam ab omni labe erroris vindicatio. Id in rebus historicis et frequentius occurrit et manifestius ostenditur. Sint, verbi gratia, descriptiones de plagis Aegypti quae leguntur Exodi 7-11, Psalmo 77 (heb. 78), 43-51 et 104 (heb. 105), 27-36, Sapientiae 16-17; quantum inter se differunt et ordine factorum et plus semel ipsis rebus! At si pensemus, Psalmographum non pedestri sermone sed versu loqui, concedemus poetae licentiam res liberius ordinandi et exornandi; auctori vero Sapientiae, ut oratori,

dandum est ut vera verisimilibus augeat et cumulet; neuter vero erroris incusari potest si quando a stricta historiae ratione discedit. Verum etiam in ipsa historia condenda non eadem ab antiquo scriptore orientali exspectari potest diligentia ac quae a moderno historico iure exigitur. Antiquorum mens et mores explorandi sunt, ut recte statuatur quid quisque scriptor dicere voluerit, et inde eius veritas, ut ita dicam, mensuretur. Quare Summus Pontifex merito catholicos viros, non tantum rerum biblicarum cultores, sed doctos etiam laicos, hortatur ut « omni, qua par est, sedulitate ac studio rebus antiquis explorandis et investigandis se dedant » (22), ut insurgentes quaestiones recta solutione enodari queant, et ut iustus statuatur ambitus et usus illius principii, cuius enunciatio in hac Encyclica multis certe et grata accidet et stimulos ad studium addet: « A Libris Sacris nulla alìena est illarum loquendi rationum, quibus ... humanus sermo ad sententiam exprimendam uti solebat, ea tamen condicione, ut adhibitum dicendi genus Dei sanctitati et veritati haud quaquam repugnet » (20).

4. *De quaestionibus difficilioribus.*

Ad peculiares et graviores quaestiones, quae non raro in s. Scripturae explanatione occurrunt, transitum faciens Summus Pontifex gratulatur primum quod studiorum progressu apud catholicos inde ab Encyclica Leonis XIII factum sit ut graves quaedam difficultates contra auctoritatem s. Librorum ab acatholicis tunc obiectae, nunc sint superatae et de medio pulsae, simulque Ecclesiae doctrina de authentia et veritate eorumdem Librorum corroborata fuerit, cum ad sententias antiquorum redierint ipsi critici olim adversi (23). Exemplo sint quaestiones de censu Quirini in Evangelio Lucae (2,1-3) et de Actuum Apostolorum auctore et historico pondere. E quaestionibus inter

ipsos catholicos exeunte superiori saeculo adhuc acriter agitatis, nunc feliciter compositis, occurrunt animo verbi gratia interpretationes cosmogoniae mosaicae (hexaemeri), aliorumque locorum de rebus physicis agentium.

Non est tamen dissimulandum graves alias difficultates et quaestiones subsistere adhuc, alias etiam forte orituras, quasdam diu aut etiam semper mansuras, ad easque strenue aggrediendas et quantum fieri potest enodandas catholicos scriptores vehementer hortatur in Encyclica supremus fidei Magister (24. 25). In qua palaestra quam latus pateat campus et quanta concedatur facultas catholico interpreti docet Idem, ostendens « inter multa illa, quae in s. Libris... proponuntur, pauca tantum esse quorum sensus ab Ecclesiae auctoritate declaratus sit, neque plura esse de quibus unanimis Sanctorum Patrum sit sententia » (25) et in memoriam revocans « in normis ac legibus ab Ecclesia latis, de fidei morumque doctrina agi » (ib.), non de aliis, quae ab humanis scientiis petita ad divinorum tamen Voluminum intellegentiam proficere valent.

Duo in hac re monita Summi Pontificis videntur speciali mentione digna. Alterum ad cultores studiorum biblicorum et scriptores, ut in modo dictis gravibus quaestionibus discutiendis ne sint contenti adversariorum oppugnationes repellere et difficultatibus contra auctoritatem s. Librorum respondere, sed praeterea positivas quaestionum solutiones, quantum fieri potest, exquirant, quibus directe explicetur quod difficultatem creat. Exemplo hic esse potest quaestio de mosaica origine Pentateuchi, in qua cum certum sit apud omnes catholicos rem non evincere argumenta quae contra Moysen Pentateuchi, ad substantiam quod attinet, auctorem, adducuntur, nondum tamen sententia prolata est communiter probata, quae omnia facta huc pertinentia explicet. Alterum monitum ad ceteros Ecclesiae filios pertinet, ut doctorum conatus aequo animo iudicent et benevola caritate excipiant, neve putent, « quidquid novum est, ob hoc ipsum esse impugnandum aut in

suspicionem adducendum » (25). Quam opportuna cadant haec monita, facile intelleget quisquis scriptorum de rebus biblicis per haec tempora editorum aliquam experientiam habuerit.

5. *De divina Scriptura in sacro ministerio.*

Ea, quae praecedunt, ad doctos studiorum cultores potissimum, si non exclusive, diriguntur. Quod ad ceteros spectat, praesertim ad Ecclesiasticos sacro ministerio addictos, multa optima et opportuna suggerit sub finem Encyclicae Summus Pontifex (26. 27). Sacerdotes s. Scripturam studio, meditatione, precibus in sucum suae ipsorum vitae spiritualis convertant, atque ita deinde in pabulum animarum suae curae commissarum profundant. Scripta, quae de s. Libris a bonis auctoribus catholicis eduntur, propagare curent; incepta doctorum, in primis periodica de rebus biblicis, pro viribus sustineant; translationibus in linguam vernaculam, quantum per liturgiae leges licet, faveant. Ad hoc ut Sacerdotes ita doctrina biblica imbuti et zelo ardentes evadant, apte efformentur Clerici in Seminariis, in quibus ita s. Scriptura tradenda est, ut non solum discatur, sed etiam ametur et placeat, non solum venerationi habeatur, sed etiam spiritum nutriat et cor accendat (28).

Denique nil suavius, nil efficacius et ad praesens luctuosissimum tempus accommodatius proferri poterat, quam quod Summus Pontifex finem dicendi facturus ad modum perorationis totum humanum genus ad Christum revocat. Ad Christum videlicet, qui est « finis legis », h. e. divinae Scripturae universae (Rom. 10, 4), cuius ignoratio Scripturarum ignorationem, s. Hieronymo asseverante, consequitur; ad Christum, quo derelicto non tantum caritas et pax in humano consortio, sed ipse humanitatis sensus exstinguitur, uti tristissima experientia pene nostris ipsi oculis

vidimus; ad Christum, a quo solo tot tamque gravium malorum remedium exspectari potest!

Ita gravissimum supremi in Ecclesia Magisterii documentum et insignis per se ipsae efficacitatis iure praedicari possunt hae Summi Pontificis Pii XII Litterae Encyclicae. Utinam adiuncta temporum non obstarent, quominus et latissime per totum orbem statim diffundantur, et plene vim exerant suam!

A. Vaccari, S. I.

INDEX

PAG.

Introductio: Litterarum Encycl. *Providentissimus Deus* occasio, Modus celebrandi eius annum quinquagesimum 95

Curae Leonis XIII et successorum eius de studiis biblicis

1. *Opus Leonis XIII*: Doctrina de inerrantia. Curae promovendi studia biblica: Schola Biblica Hierosolymitana. Commissio Biblica 97
2. *Opus successorum Leonis XIII*:
   Pius X: Gradus academici creati. Ratio studiorum biblicorum. Institutum Biblicum 98
   Pius XI: Gradus academici praescripti. Monasterium S. Hieronymi pro revisione Vulgatae 99
3. Curae Summorum Pontificum *pro usu et diffusione S. Scripturae* 100
4. *Fructus* huius multiplicis actionis 101

II

De studiis S. Scripturae nostris temporibus

Hodierna condicio studiorum biblicorum 102
1. *Recursus ad textus primigenios.* Studium linguarum biblicarum. Momentum criticae textualis. Vis decreti Tridentini de Vulgata adhibenda. Versiones in lingua vulgares 103
2. *De interpretatione.* Sensus litteralis momentum et investigatio. Rectus usus sensus spiritualis. Studium SS. Patrum et magnorum interpretum fovendum . . . 106
3. *Peculiaria munera interpretum nostris temporibus.* Condicio hodierna exegeseos. Ratio habenda indolis hagiographi. Momentum generis litterarii, praecipue in historia. Studia antiquitatum biblicarum promovenda . 109
4. *Ratio tractandi quaestiones difficiliores.* Difficultates studiis recentioribus feliciter solutae. Difficultates nondum solutae aut insolubiles. Positivae solutiones quaerendae 112
5. *Usus S. Scripturae in instruendis fidelibus.* Varii modi adhibendi S. Scripturam in ministerio sacro. Praeparatio sacerdotum in Seminariis. Sensus Librorum Sacrorum hoc belli tempore: consolatio afflictis; omnibus via iustitiae 114

Conclusio. Exhortatio ad cultores studiorum biblicorum . 117

2 - Suprema S. Congregatio Sancti Officii *

Normae quaedam de agendi ratione Confessariorum circa VI Decalogi praeceptum

Ecclesia numquam omisit omne studium atque sollicitudinem adhibere ne Sacramentum Poenitentiae « quod post amissam Baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per daemonum fraudem, et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium », et quod in animarum salutem institutum est, in earum perniciem atque sacerdotalis sanctimoniae et dignitatis detrimentum per hominum inconsiderantiam vel levitatem quomodocumque vertatur.

Est autem, super cetera, haud spernendum in hac re periculum si *in interrogandis* atque *instruendis* paenitentibus circa VI Decalogi praeceptum considerate ac circumspecte, ut rei asperitas exigit, atque Sacramenti dignitati congruit, confessarius sese gerere negligat, sed ultra modum progrediatur et officium consulendi confessionis integritati atque paenitentium bono; aut si tota eius *agendi ratio, maxime cum mulieribus*, debita sanctitate et gravitate careat: haec enim fidelium animos facile offendunt, suspicionum ansas dant atque Sacramenti profanationis initium evadere possunt.

Ut vero tanto discrimini omni ope atque opera occurratur, haec Suprema Sacra Congregatio opportunum duxit has in memoriam redigere normas ad quas confessarii animum mentemque sedulo intendant necesse est, et futuri confessarii in Seminariis et scholis theologicis mature attenti reddantur.

I°) Codex I. C. peropportune monet ne confessarius curiosis atque inutilibus quaestionibus, maxime circa VI

* Referimus textum Instructionis ad Ordinarios transmissae.

Decalogi praeceptum, quemque detineat, et praesertim ne iuniores de iis quae ignorant imprudenter interroget (Can. 888 § 2). Porro inutiles quaestiones sunt quae supplendae poenitentis accusationi eiusdemque animi dispositionibus cognoscendis minime necessariae demonstrantur. Poenitens enim iure divino tenetur dumtaxat omnia et singula peccata gravia post Baptismum commissa et nondum per claves Ecclesiae directe remissa, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare quae speciem peccati mutent, modo tamen specificas huiusmodi malitias peccando cognoverit, ac proin contraxerit. Haec, igitur, tantum confessarius per se a poenitente sciscitari tenetur, si rationabiliter suspicatur eadem bona vel mala fide in confessione praetermissa fuisse; et si quando contingat cuiusdam poenitentis examen ex toto supplendum esse, non ultra prudentis coniecturae modum, attenta poenitentis condicione, percontando, progrediatur.

Omittendae igitur sunt, utpote inutiles, molestae atque hac in re periculi plenae, interrogationes de peccatis quorum nulla cadit in poenitentem positiva atque firma suspicio; item de peccatorum speciebus quas haud verisimile est ipsum contraxisse; de peccatis materialibus, nisi ipsius poenitentis bonum vel avertendum mali communis periculum monitionem postulet vel suadeat; item de circumstantiis moraliter indifferentibus, atque praesertim de modo quo peccatum commissum est. Quin immo si poenitens sponte, seu prae inscitia seu prae scrupulis seu tandem prae malitia, in explicandis luxuriae peccatis vel tentationibus modum excedat aut pudicitiam verbis offendat, id confessarius prudenter, at prompte ac fortiter, cohibere ne omittat.

Meminerit insuper confessarius divinum de confessionis integritate praeceptum cum gravi poenitentis vel confessarii damno quod sit confessioni extrinsecum, non urgeri; ac proin quoties vel poenitentis scandalum vel

ipsius confessarii ruina ex interrogatione prudenter timeatur, eadem abstinendum esse. In dubio vero, commune doctorum monitum sit semper menti defixum, hac in re melius esse deficere quam cum ruinae periculo excedere.

Tandem confessarius interrogando, cautissime semper procedat, propositis prius generalioribus quaestionibus, ac postea, si casus ferat, magis definitis interrogationibus. Hae tamen semper sint breves, discretae, honestae, devitatis prorsus locutionibus quae phantasiam vel sensum moveant, aut pias aures offendant.

II°) Neque minori prudentia atque gravitate confessarius opus habet dum poenitentes, pro suo munere medici et magistri, *monet* atque *instituit*. Id vero apprime ac probe meminerit sibi haud corporum sed animarum curationem concreditam esse. Eius igitur per se non est consilia poenitentibus dare quae *ad medicinam* vel *hygienem* spectant, atque ea omnino devitet quae mirationem moverent vel scandalum gignerent. Si quae, vero, consilia huiusmodi necessaria, etiam propter conscientiam, censeantur, eadem a perito recto, prudenti, atque morali doctrina instructo tradenda erunt, ad quem igitur poenitens remittendus est.

Itidem ne audeat confessarius, seu sponte seu rogatus, de natura vel modo actus quo vita transmittitur poenitentes docere, atque ad id nullo unquam praetextu adducatur.

Moralem vero institutionem et opportunas monitiones iuxta probatorum auctorum doctrinam suis poenitentibus tradat, idque prudenter, honeste, moderate, non ultra veram poenitentis necessitatem; neque abs re animadvertere fuerit inconsiderate illum agere atque recte munere suo non fungi qui videatur fere unice, interrogationibus et monitis, de his peccatis sollicitus.

III°) Oblivioni tandem dandum non est mundum in maligno positum esse, atque « sacerdotem quotidiana consuetudine versari quasi *in medio nationis pravae*: ut sae-

pe in ipsa pastoralis caritatis perfunctione, sit sibi pertimescendum ne lateant inferni anguis insidiae ». (Pius X, Exhortatio ad clerum).

Quapropter cautissime semper incedat, praesertim cum mulieribus suis poenitentibus, necesse est, omnia vigilanter devitando quae familiaritatem proderent vel periculosam amicitiam fovere possent. Ne igitur in iisdem cognoscendis curiosus sit, neque audeat earum nomen directe vel indirecte inquirere. Eas dum alloquitur, pronomen « tu », ubi familiarem consuetudinem significet, omnino ne adhibeat; earum confessiones ultra quam satis est produci ne permittat; a rebus pertractandis quae ad conscientiam non pertinent in confessione abstineat; mutuas visitationes atque commercium epistolare cum iisdem sine vera necessitate ne admittat, necnon longas collocutiones sive in sacristiis sive in atriis seu « locutoriis » sive alibi, ne sub praetextu quidem spiritualis directionis.

Id vero confessarius omni vigilantia praecavere debet ne pietatis fuco affectus humani suiipsius vel poenitentium animo paulatim irrepant atque foveantur; sed omni ope continenter eniti debet « ut quidquid pro sacro munere agit, secundum Deum agat instinctu ductuque fidei ».

IV°) Quo vero facilius atque tutius valeant confessarii tali munere fungi, ad id mature a suis magistris instituantur atque doceantur, neque tantum principiis, sed specimine quoque et exercitatione, ut accurate sciant quomodo sint circa VI Decalogi praeceptum interrogandi poenitentes, pueri, iuvenes, adulti, atque praesertim mulieres; quae sint necessariae vel utiles quaestiones; quae contra omittendae, atque quaenam adhibenda iuxta patrium sermonem verba.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 16 maii 1943.

F. Card. Marchetti Selvaggiani

Secretarius.

2* - Suprema S. Congregatio Sancti Officii

(*AAS.* xxxv [23 decemb. 1943] p. 398).

COMMUNICATIO

Cum Sac. *Lucas Anderwald,* Archidioecesis Goritien., iussus, sub poena suspensionis a divinis, Supremae S. Congregationi S. Officii se sistere, contumax permanserit, suspensus est a divinis ad nutum Sancti Officii.

Ex Aedibus S. Officii, die 26 Novembris 1943.

Sac. Ioannes Pepe,

Supremae S. Congregationis S. Officii Notarius.

3 - S. Congregatio Concilii

Resolutiones

I

(*AAS.* xxxv [23 decemb. 1943] p. 399).

ROMANA

RESERVATIONIS BENEFICIORUM IN URBE

Die 12 Iunii 1943

Dubium. - Cum ortum sit dubium cuinam spectet vacantes canonicatus conferre in Titulis et Diaconiis, dum eorum Cardinales Titulares ab Urbe absunt, *utrum nempe iisdem Cardinalibus Titularibus et Diaconis an Datariae Apostolicae,* dubium ipsum, de speciali mandato SS.mi Domini, delatum est solvendum huic Sacrae Congregationi Concilii.

Animadversiones. - In canone 1435 § 3 expresse edi-

citur: « Quod attinet ad collationem beneficiorum quae Romae fundata sint, leges peculiares de eisdem vigentes serventur ». Iamvero hae leges in primis continentur in Regulis Cancellariae Apostolicae et praesertim, quod ad rem nostram attinet, in Regula VIII quae statuit: « Item (Sanctitas Sua) reservavit dispositioni Suae ... collationem, provisionem seu quamvis aliam dispositionem S. R. E. Cardinalium a Romana Curia absentium ratione suorum Episcopatuum Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium Titulorum et Diaconiarum, quamdiu absentia huiusmodi duraverit ... ».

Quapropter ius quod Summus Pontifex, veluti Episcopus Romanus, E.mis Cardinalibus concessit conferendi beneficia in suis Titulis vel Diaconiis hac conditione circumscribitur ut sint praesentes in Urbe. Hinc Riganti (*Comment in Reg. VIII*, § 1, n. 27-29) scribit: « Licet Cardinales in suis Titulis iurisdictione episcopali seu quasi fruantur, ut sancivit Honorius III, proindeque de iure conferre possint beneficia in iisdem Titulis vacantia, habeantque in illorum collatione fundatam intentionem », attamen in hoc mandato Pontifex « non intelligit comprehendere collationem beneficiorum nisi cum dicta qualitate *praesentiae* in Romana Curia ».

Quae praesentia debet esse realis et personalis, non ficta, fallente in casu regula iuris 68 in VI: « Potest quis per alium quod potest facere per se ipsum », nam, ut ait Reiffenstuel (Reg. 68, vol. 6, n. 9): « fallit regula in iis quae ex ipsa natura et institutione sua vel speciali iuris dispositione factum propriae personae requirunt, uti sunt residentia ... ».

Nec aliter auctores magnae notae hanc Regulam VIII Cancellariae Apostolicae interpretati sunt, inter quos, praeter memoratum Riganti, recensendi sunt Lotterius (*De re beneficiali*, lib. II, quaest. 2), Fagnanus et Gonzalez (*Commentarium ad Reg. VIII*), Cardinalis De Luca (*De beneficiis*, disc. 145, n. 14) aliique.

Verum quidem est quod Regulae Cancellariae Apostolicae, qua tales, abrogatae sunt per Codicem iuris canonici. Attamen Codex plures earumdem Regularum dispositiones servavit, inter quas certo recensendae sunt quae respiciunt collationem et reservationem beneficiorum in Urbe vacantium dum Cardinales Titulares vel Diaconi a Romana Curia absunt, cum huiusmodi dispositiones constituant illas *leges peculiares antea vigentes*, quae ipse Codex in memorato canone 1435 § 3 praescribit ut serventur. Interpretatio autem huius canonis, ad normam canonis 6 n. 2 Codicis, desumenda est « ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus », quae supra relatae sunt.

Idipsum confirmatur praxi Datariae Apostolicae, quae Regulam VIII etiam post Codicem promulgatum servavit uti normam in collatione horum beneficiorum; quae praxis est optima iuris interpres in casu, ad normam canonis 20 Codicis iuris canonici.

Cui expositae doctrinae et praxi Datariae Apostolicae non adversatur praescriptum canonis 1432 § 1, vi cuius « ad collationem beneficiorum vacantium Cardinalis in proprio titulo vel diaconia et Ordinarius loci in proprio territorio habet intentionem in iure fundatam ». Nam ex hac clausula « intentio in iure fundata » hoc tantum eruere licet quod Cardinales et Ordinarii locorum, vi iuris communis, ius habent beneficia conferendi in suis titulis vel in suo territorio, exclusis aliis collatoribus inferioribus, nisi aliter constet, immo et ipso Summo Pontifice, nsi aliud caveatur. Verum aliud expresse cavetur, tamquam exceptio huic regulae generali, in Codice I. C. per canonem 1435 § 1 quoad omnes dignitates, familiares Papae, beneficia affecta etc., et per § 3 eiusdem canonis quoad beneficia Romae fundata.

Resolutio. — Proposito itaque in Congregatione Plenaria diei 12 Iunii 1943 dubio: *An, ad normam canonis* 1435 § 3 *Codicis I. C., sit Sanctae Sedi reservata collatio beneficiorum vacantium in Titulis vel Diaconiis dum Car-*

dinales Titulares a Romana Curia absunt; E.mi Patres eiusdem Sacrae Congregationis responderunt: *Affirmative.*

Quam resolutionem SS.mus D. N. Pius Pp. XII in Audientia diei 18 eiusdem mensis, referente subscripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

II.

(*AAS.* xxxv [15 maii 1943] p. 148).

ROMANA

RESERVATIONUM APOSTOLICARUM

Die 12 Decembris 1942.

Dataria Apostolica ea quae sequuntur huic Sacrae Congregationi Concilii exposuit: « In nonnullis Curiis dioecesanis plerumque fit ut, cum ad beneficium a Sede Apostolica conferendum aliquis proponatur, qui aliud beneficium iam possidet, primum is invitetur ad beneficium possessum resignandum, ac deinde beneficio antea possesso nunc expers Sanctae Sedi proponatur, persuasum habentes eaedem Curiae effugere hoc modo reservationem apostolicam de qua in canone 1435 § 1 n. 4: *Si Romanus Pontifex beneficiarium promoverit vel transtulerit* etc., instantes in literali eiusdem canonis significatione ».

His tamen in adiunctis censet Dataria Apostolica haberi manuum appositionem Romani Pontificis, ideoque beneficii reservationem, quia renunciatio beneficii fit in fraudem reservationis apostolicae, atque uti nullius momenti sit habenda. (Cfr. Riganti, *Commentaria in Regulas Cancellariae Apostolicae,* nn. 1-5).

Quapropter ratus E.mus Cardinalis Datarius agi in casu de quaestione, cuius solutio uti norma a Curiis dioe-

cesanis esset servanda, rem Summo Pontifici retulit, qui huic Sacrae Congregationi mandare dignatus est ut rem accurate perpenderet, eiusque decisio, uti norma servanda, Curiis dioecesanis communicaretur.

Animadversiones. — Nullum est dubium quin in veteri iure prohiberentur, imo ut nullae haberentur renunciationes beneficiorum in fraudem reservationis apostolicae peractae, idque ex Constit. *Iam dudum* Pauli V diei 25 februarii 1609. Ita Lotterius (*De re beneficiaria*, lib. II, q. 27, n. 38 ss.): « Cui reservationi, ut nulla fraus fiat ex Constitutione Pauli V..., quae hodie est notata inter Regulas Cancellariae Apostolicae, cautum est ut si, vacante parochiali, aliquis resignaverit quam prius habebat et vacantem mox obtineat, resignatio sit nulla, et nihilominus, tamquam si per assecutionem vacasset, censeatur reservata ». Nec aliter Pitonius (*Disceptationes ecclesiasticae*, disc. 12, n. 58 ss.), Barbosa (*De officio et potestate Episcopi*, pars III, alleg. 57, n. 83) et tandem Riganti (l. c., in regulam tertiam, n. 2 et seq.), qui ad rem haec scribit: « Cum Summus Pontifex ... sibi reservaret omnia beneficia vacatura per pacificam assecutionem quorumcumque beneficiorum incompatibilium a Sede Apostolica vel eius auctoritate providendorum, invaluit malitia quod ii qui de beneficiis incompatibilibus providendi erant, ante illorum assecutionem, resignabant vel dimittebant in fraudem apostolicae reservationis beneficia quae tunc obtinebant; hinc, ut huic malo occurreret, s. m. Paulus V ... decrevit quod beneficia sic resignata ac dimissa ... sub dicta reservatione comprehendantur... Sufficit quod resignatio beneficii fiat intra tempus vacationis et provisionis alterius incompatibilis, etiamsi bona fide et absque fraude imminentis reservationis expleta contendatur. Regula ... nullam fraudis probationem requirit ...; colligit enim fraudem ab eventu et vicinitate actuum, videlicet a scientia quam resignans habuit vacationis secundi beneficii incompatibilis, et ab

illius assecutione post expletam resignationem alterius quod prius obtinebat ».

Ex quibus haec praecipue colliguntur: fraudem in casu spectari *obiective,* praecisione nempe facta a malitia subiectiva vel a fraudulenta renunciantis intentione; praesumptionem huiusmodi fraudis haberi quando beneficiarius suo beneficio renuntiavit tempore vacationis alius beneficii reservati, et hoc assecutum est; his in adiunctis haberi eo ipso fraudem, quin de malitiosa resignantis voluntate inquirere opus sit.

His adnotatis, quaestio resolvenda in hoc vertitur, utrum iure quo utimur haec praescripta adhuc vigere dicenda sint. Iamvero canon 1435 § 1 n. 4 omnia beneficia reservata declarat, « quibus Romanus Pontifex per se vel per delegatum manus apposuit his qui sequuntur modis: *si ... beneficiarium promoverit vel transtulerit, beneficio privaverit,* etc. ».

Equidem verba huius canonis legenti prima fronte videretur reservationem apostolicam non dari. Nam, posita renunciatione prioris beneficii Ordinario dioecesano legitime facta, ab eoque acceptata, actus videtur iuridice per se completus, atque manuum appositionem Romani Pontificis excludens, cum sacerdos ad beneficium reservatum promovendus vel transferendus, tempore vacationis huius beneficii, beneficio ab eo antea possesso sit expers. At ex his rei adiunctis facile patet resignationem beneficii intuitu alius beneficii reservati assequendi fieri in fraudem legis, quatenus per beneficii resignationem ponitur obex, cuius vi impeditur quominus Romanus Pontifex ius suum exerceat, et fraus et dolus, ex trito iuris praescripto, nemini prodesse debet.

Praeterea memoratus canon 1435 § 1 n. 4, quia reservationes in veteri iure statutas quoad substantiam et refert et confirmat, « ex veteris iuris auctoritate est aestimandus » ad normam canonis 6 n. 2 et 3; quod si dubium sit num « cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est re-

cedendum » (n. 4). Eo vel magis si recolatur constans in subiecta materia Datariae Apostolicae praxis, quae iuxta canonem 20 Codicis I. C. in casu uti *norma legis* sumi debet.

Quapropter et in novo iure resignatio beneficii in fraudem reservationis apostolicae prohibita est, atque beneficium ipsum reservatum manet.

Resolutio. — In plenariis autem comitiis diei 12 Decembris 1942 E.mi Patres huius Sacrae Congregationis ad propositum dubium: *An, ad mentem canonis* 1435 § 1 n. 4, *collati cum canonibus* 6 *nn.* 2-4 *et* 20 *C. I. C., sit Apostolicae Sedi reservatum beneficium resignatum intuitu alterius beneficii reservati;* responderunt: *Affirmative.*

Quam resolutionem in Audientia diei 20 Decembris 1942, referente subscripto eiusdem Sacrae Congregationis Secretario, Sanctissimus Dominus Pius Pp. XII benigne approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

III.

(*AAS.* xxxv [26 iun. 1943] p. 182).

ARCHIDIOECESIS T.

DISTRIBUTIONUM INTER PRAESENTES

Die 14 februarii 1942

Species facti. Duo capitulares ecclesiae cathedralis T,. iubilationis indulto a Sacra Congregatione Concilii legitime donati, cum nonnullis functionibus capitularibus, quibus adnexae sunt distributiones inter praesentes, non interfuissent, his a Capitulo privati sunt. De hac agendi ratione penes Capitulum conquesti, innixi praescripto ca-

nonis 422 § 2 Codicis I. C., a Capitulo responsum acceperunt: distributiones inter praesentes eisdem non competere, attentis synodo dioecesana anno 1877 celebrata, statutis capitularibus et consuetudine, immo nec ad ipsas fallentias ex distributionis quotidianibus ius habere.

Revera synodus dioecesana in tit. XXVII § 8, praemisso quod « iuris dispositione pro praesentibus habendi qui... post quadragenarium chori servitium iubilationis indultum a Sede apostolica obtinuerint etc. », quapropter distributiones quotidianas percipiunt, in § 12 eiusdem tituli subdit: « nequeunt tamen illis obventionibus frui, quae fundatione, recepta consuetudine vel statuto physicam personae praesentiam ita exigunt ut realiter praesentibus tantum sint concedendae ».

Statuta vero capitularia anni 1924, quin aliquid singulare innuant, in art. 2 verba antea relata synodi dioecesanae repetunt ac causas memorant in canonibus 420 et 421 Codicis I. C. descriptas, « quibus canonici et beneficiati detenti, quamvis choro et functionibus desint, pro praesentibus habentur ac propterea distributiones pariter lucrantur. » Quae statutorum praescripta in suis deductionibus Capitulum ita explicat: « A tale legge e consuetudine della presenza fisica richiesta in determinate funzioni sono pertanto in questa archidiocesi sottoposti, nonostante siano dispensati dall'intervento in coro, i seguenti: 1° i canonici eventualmente inviati dall'Ordinario *ad visitanda Limina*, i giubilati, dopo 40 anni di servizio, provveduti di apposito indulto, il teologo nei giorni di insegnamento etc., il penitenziere quando confessa, il canonico parroco etc. ».

Consuetudinem tandem quod spectat, hoc unum animadvertere praestat, in memorato Capitulo sexaginta abhinc annis nullum fuisse canonicum, qui iubilationis indultum a Sede Apostolica obtinuerit.

Cum quaestionem inter se capitulares componere nequissent, Archiepiscopus quaestionem ipsam huic Sacrae Congregationi dirimendam proposuit.

ANIMADVERSIONES. - Praescriptum canonis 422 § 2 C. I. non videtur recte fuisse a Capitulo intellectum, ea praesertim de causa quia non bene animadvertisset distinctionem, iuxta Codicem, in distributiones quotidianas et distributiones inter praesentes. Ex quo factum est ut capitularibus iubilatis Capitulum denegasset ipsas quoque fallentias ex distributionibus quotidianis contra praescriptum canonis 395, vi cuius « distributiones quotidianae cedunt diligentibus »; quibus fictione iuris procul dubio accensendi sunt iubilati, quamvis choro non intersint. Quod sanxit haec Sacra Congregatio in causa *Maioricen.* diei 15 Ianuarii 1921, in qua ad dubium: « An absentes a choro vi indulti apostolici quo conceduntur distributiones, amissis inter praesentes tantum, ius habeant ad fallentias in casu », respondit: « Affirmative, dummodo ne agatur de fallentiis e distributionibus inter praesentes tantum provenientibus ». Quae decisio, quae infirmos spectabat apostolico indulto donatos, a fortiori applicanda esse videtur iubilatis, utpote potiore iuris favore fruentibus.

Quod vero pressius quaestionem spectat, Capitulum contendit in pluribus functionibus capitularibus requiri physicam canonicorum praesentiam, quamvis ipsi a choro sint dispensati, inter quos indiscriminatim enumerat canonicos accedentes vice Episcopi ad visitanda Limina Apostolorum, canonicos piis exercitiis vacantes, iubilatos, canonicum theologum nec non poenitentiarium, dum suis vacant officiis, aliosque. Et subdit: « Tutti questi, mentre sono dispensati dal coro, se occupati nei loro uffici, partecipando tuttavia alle distribuzioni corali, non sono invece qui dispensati dall'intervento alle altre determinate funzioni, per le quali in questa diocesi in virtù del sinodo, degli statuti e di immemorabile consuetudine è richiesta la presenza fisica ».

At plura in his sunt animadvertenda. Et in primis, recensiti canonici qui distributionibus inter praesentes privantur, omnes indiscriminatim assimilantur, quoad perceptionem harum distributionum, canonicis iubilatis, qui

postremi singulari iuris favore gaudent, utpote qui ad normam citati canonis 422 § 2, licet a choro absentes, ius habent percipiendi distributiones inter praesentes, iis tantum exceptis quibus obstet expressa fundatorum vel oblatorum voluntas etc.

Revera memoratum indicem a synodo dioecesana diei 4 septembris 1877 fere ad literam Capitulum mutuavit, non advertens synodum in loco citato non agere de distributionibus inter praesentes sed de distributionibus quotidianis, uti patet quoque ex eodem titulo XXVII, qui inscribitur: *De quotidianibus distribution.*

Praeterea Capitulum in aliis deductionibus mentem suam hac in re ita clarius aperuit: « Nel nostro sinodo diocesano celebrato nel settembre 1877, al tit. 27 § 8, i giubilati sono considerati per le puntazioni come gl'infermi, come i canonici che assistono l'Arcivescovo ecc. Tali disposizioni del nostro sinodo sono state confermate dal nuovo statuto approvato in data 25 dicembre 1924 ». Quae praescripta tamen sunt contra ius commune a Codice firmatum in canone pluries citato, immo nullius sunt momenti, attenta quoque omissione distinctionis, qua laborat argumentatio Capituli, inter distributiones quotidianas et inter praesentes.

Quibus attentis, liquido patet statuta Capituli cathedralis T., utpote contra ius commune, hoc caput quod spectat, concinnata, haberi non posse tamquam fontem iuris, vi cuius canonici iubilati priventur distributionibus inter praesentes, iis tantum exceptis de qubus in canone 422 § 2.

Resolutio. - Proposito itaque in Comitiis plenariis diei 14 Februarii 1942 dubio: *An iubilati ius habeant ad distributiones inter praesentes in casu;* E.mi Patres huius Sacrae Congregationis responderunt: *Affirmative, nisi obstet expressa fundatorum vel oblatorum voluntas: cauto praeterea ut Capitulum T. hac in re propria statuta capitularia emendet ad normam Codicis iuris canonici.*

Quam resolutionem Sanctissimus Dominus noster Pius Pp. XII in Audientia diei 22 Februarii 1942, referente subscripto Secretario, approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

De beneficiis erectis in titulis et diaconiis cardinalitiis agitur speciatim in c. 1432 § 1, dum beneficiorum, quae in Urbe fundata sint, fit mentio modo prorsus generico in c. 1435 § 3. Per canonem primo loco memoratum statuitur Cardinales habere in propriis titulis et diaconiis ad collationem beneficiorum vacantium intentionem in iure fundatam; ex qua dispositione generali sequitur collationem horum beneficiorum non competere aliis, R. Pontifice haud excepto, nisi quando et quatenus ius *speciale* eis assistat. At per alterum canonem servantur quoad collationem beneficiorum Romae fundatorum leges peculiares de eisdem ante Codicem vigentes.

Iam quaeri potest an norma, in hoc altero canone statuta, sit completiva dispositionis contentae in c. 1432 § 1 vel respiciat potius *sola* beneficia extra titulos et diaconias Romae fundata. Primo intuitu fortasse quis diceret agi in c. 1435 § 3 de *solis* beneficiis extra titulos et diaconias fundatis, cum in priore canone actum iam fuerit de collatione beneficiorum in titulis et diaconiis cardinalitiis existentium. Proinde normae in utroque canone traditae possent dici completivae *solummodo* quatenus respicerent simul sumptae omnia beneficia Romae fundata, non vero quatenus deberent applicari omnes indistincte quibuslibet beneficiis Urbis. Quorsum enim spectaret bis de una eademque re agere? Iam vero, ni ita res intelligeretur, esset bis sermo de collatione beneficiorum vacantium in titulis et diaconiis cardinalitiis, et quidem primum distincte, dein vero omnino generaliter, sc. cum de beneficiis Romae fun-

datis fit mentio; in utroque enim loco loquitur Codex de collatione beneficiorum.

Fatendum est aliquod dubium suboriri posse, si sola verba in memoratis canonibus adhibita respiciantur; res tamen plene clarescit, si quis attente consideret et locum quem tenet in Codice praescriptum generale de beneficiis Urbis et modum loquendi a commentatoribus antiqui iuris hac in re adhibitum. Ac in primis videmus in c. 1435 potissimum agi de beneficiis reservatis vel reservandis S. Apostolicae, i. e. determinantur taxative exceptiones faciendae in applicanda regula generali tradita in c. 1432 § 1. In hoc contextu venit ultimo loco illa paragraphus, qua servantur quoad beneficia Urbis leges peculiares ante Codicem vigentes. Hanc autem regulam valere etiam pro beneficiis in titulis et diaconiis fundatis patet ex eo quod in casu contrario *debuisset* expresse edici in illa paragrapho salvum manere quod de iisdem praescriptum fuerat in c. 1432 § 1; id autem minime fit.

Nec miremur quod in illa paragrapho de collatione beneficiorum et non de reservatione agatur; cum enim nondum actum esset de collatione beneficiorum fundatorum in Urbe extra titulos et diaconias, opportunum omnino videbatur adhibere formulam, qua comprehenderetur quidquid ad collationem et reservationem beneficiorum romanorum pertineret. Atque per Codicem ius vetus hac in re conservari clarius videbimus, si meminerimus commentatores antiquos, qui asserunt Cardinales in propriis titulis et diaconiis habere ad collationem beneficiorum vacantium intentionem in iure fundatam, simul expresse docere absentibus Cardinalibus ab Urbe reservari ea sine ulla exceptione S. Pontifici.

Hinc manifesto colligitur Codicem non nisi dispertiisse in duos canones quod antiqui auctores per modum unius exponebant in commentanda regula VIII § 1 Cancellariae. (Cfr. Riganti, Comment. in regul. VIII § 1, nn. 29 et 31). Proinde si nihil mutatum est in modo loquendi,

multo minus erit admittenda variatio aliqua in ipsa substantia rei, si ea aliunde non evincatur, quod quidem non fit in nostro casu. Quid autem hac in re observatum fuerit in antiquo iure clare nos docent auctores citati in animadversionibus ab Ecc.mo Secretario praemissis. Subaudienda est igitur in c. 1432 § 1 condicio praesentiae verae et physicae Cardinalium in Urbe tempore quo vacent illa beneficia. Nulla ratio habetur residentiae habitualis, sed requiritur semper et etiam sufficit praesentia physica tempore vacationis beneficiorum. Nec valet allegatio verae causae ad iustificandam absentiam, ita ut applicanda sit haec norma etiam ipsis Cardinalibus praesbyteralis ordinis, qui simul sint episcopi residentiales. Scite explicat Riganti (l. c. nn. 85 et seq.) cur iusta causa, immo et ipsa obligatio residendi in propriis dioecesibus non sufficiat ad derogandum praescripto canonis 1435 § 3. Cuius rei ultimam rationem invenies in eo quod ordinarius collator in Urbe sit semper dicendus ipse R. Pontifex; reliqui solum vi privilegii concessi id praestare possunt.

II

Ut dicitur in c. 261, Datariae Apostolicae est cognoscere de idoneitate promovendorum ad beneficia non consistorialia Sedi A. reservata; conficere et expedire apostolicas litteras pro eorum collatione. Dataria Apostolica in hoc exsequendo munere utitur ministerio Curiarum dioecesanarum, quibus incumbit onus mittendi Romam nomina omnium sacerdotum, qui vacatione beneficii reservati rite nunciata, supplicem libellum miserint ut sibi conferatur, vel si nemo beneficium optaverit, significare debent saltem tria nomina, quatenus fieri possit, inter digniores. Insuper manifestent necesse est Ordinarii, praesertim si res sit de beneficio cum cura animarum (c. 459 § 1) quem candidatum coram Deo digniorem ac magis ido-

neum iudicent, ac huius sententiae opportunam rationem benigne solet R. Pontifex habere. (Normae servandae ab Ordinariis, AAS. XXII, 525; Instruct. Datariae Apost. d. 1 ian. 1942, AAS. XXXIV, 113).

Potest autem non raro contingere ut qui digniores iudicentur iam aliquod beneficium possideant; qua de re in casu peractae translationis subintraret ipso facto vi canonis 1435 § 1, 4° reservatio prioris beneficii vacantis, cui per translationem beneficiarii apposuit suas manus R. Pontifex. Quid vero dicendum si beneficiarius ob invitationem a Curia dioecesana provenientem resignet beneficium possessum, ut post renunciationem ab Ordinario acceptatam proponatur Sedi A. tanquam dignior ad beneficium reservatum obtinendum? Daturne in hoc casu reservatio in c. 1435 § 1, 4° praescripta? Attento solummodo litterali sensu canonis citati negative esset respondendum, cum non promoveatur vel transferatur beneficiarius, sed qui fuerat beneficiarius. Sed ut responsio aequitati conformis detur, debent prius attente perpendi non solum verba canonis sed etiam adiuncta rei de qua agitur. Haec autem aperte nobis indicant fraudem in hoc casu intervenire, ut patet cuicumque diligenter inspicienti et casum propositum et modum quo S. Sedes solet procedere in concedendis beneficiis reservatis non consistorialibus. Iam vero iuri naturali repugnare videtur quod quis ex fraude scienter admissa emolumentum capiat.

Haec ratio totam suam vim amittere videtur, si desit malitia subiectiva, i. e. si promovendus resignaverit primum beneficium, nullo respectu habito, nec ex parte sua nec ex parte Curiae dioecesanae, ad alterum beneficium Sedi A. reservatum obtinendum. Praeterea resolutio nova S. Congregationis illum solummodo videtur respicere casum, in quo habeatur revera huiusmodi malitia subiectiva; agit enim expresse de resignatione facta *intuitu* alterius beneficii reservati obtinendi, in quo necessario, habetur malitia subiectiva. Idem colligitur ex specie facti initio des-

cripta; est enim quaestio de modo procedendi nonnullarum Curiarum dioecesanarum, quae persuasum habent *effugere* hac via reservationem apostolicam, de qua in c. 1435 § 1, 4°.

In antiquo iure reservabantur per regulam III Cancellariae omnia beneficia resignata intra tempus vacationis et provisionis Apostolicae alterius incompatibilis, etiamsi resignatio absque ulla malitia subiectiva facta fuerit; regula enim, ut aiebat Riganti, nullam fraudis probationem requirit, sed eam colligit ab eventu et vicinitate actuum (Comment. in reg. III Canc., n. 74). Etiam hodie habebitur omnino in his adiunctis praesumptio fraudis. Quod vero reservatio teneat, semper ac resignatio locum habuerit post vacationem beneficii reservati quod dein de facto obtinetur, etsi probetur *certo* absque ulla malitia primum beneficium resignatum fuisse, non videtur posse clare evinci ex c. 1435 § 1, 4°, ubi, contra ac in vetere iure, nulla fit mentio de resignatione facta intra « vacationis et provisionis ... tempora ». (Cfr. Riganti, Reg. III Cancellariae). Quod ibi expressis verbis edicebatur, hic penitus omittitur. Nonne id indicaret aliquam mutationem iuris hac in re fuisse introductam?

Nollem huic argumento de reservationibus finem imponere, quin referam pulchras rationes quas innuit Wernz (Ius Decretalium, II, n. 328) ad ostendendum quam conveniens sit et opportunum ad efficacem et suavem gubernationem Ecclesiae regimen moderatum reservationum. « Summopere, ait, interest Ecclesiae ut omnes clerici centro unitatis ecclesiasticae arcte devinciantur; propter sollicitudinem omnium ecclesiarum R. Pontifex indiget ministris, quos honoribus et muneribus afficere oportet; clerici pauperes forte suis sedibus pulsi sublevandi; viri docti et periti praemiis sunt donandi ». Ad hos omnes altissimos fines inserviunt beneficia Sedi Apostolicae reservata.

III

Servitium chori comprehendit psalmodiam horarum canonicarum et celebrationem cum cantu Missae conventualis, praeter alias Missas vel secundum rubricas Missalis vel ex piis fundationibus celebrandas (c. 413 § 2). Huiusmodi servitium est praecipua obligatio canonicorum et beneficiariorum. Inter bona quae obtingere possunt eis ob servitium chori distinguuntur fructus praebendae et duplex species distributionum, sc. distributiones cotidianae et distributiones quae inter praesentes dicuntur (c. 420). Notio duplicis speciei distributionum non traditur in Codice. Dicuntur distributiones inter praesentes a canonistis quae vel sunt omnino praeter ordinem quia obveniunt ex aliquo actu contingenter praestito a capitularibus, vel dantur a fidelibus sub expressa condicione ut obtingant solis praesentibus in determinata functione, etsi certa et fixa, vel demum ex statuto capitulari vel legitima consuetudine solis *physice* in choro praesentibus tribui solent (Wernz-Vidal, II, n. 670). Reliquae omnes, fallentiis non exclusis, sunt distributiones cotidianae.

Sedes Apostolica solet concedere iuxta condiciones in c. 422 descriptas indultum iubilationis canonicis et beneficiariis, servitio chori adstrictis, qui laudabiliter per quadraginta annos continuos in eadem dioecesi hanc obligationem adimpleverint. Huiusmodi indultum fert secum immunitatem completam a communi servitio chorali, non autem exemptionem ab oneribus specialibus, alicui praebendae forte adnexis. Cum vero illud detur in praemium servitii iam praestiti, aequum omnino est ut exemptio a servitio chori sit plena et simul ius ad percipienda emolumenta, ex hoc capite ceteris obvenientia, retineatur integre, quoad eius fieri possit. Hinc est quod in Codice nulla exceptio statuatur quoad absolutam exemptionem a servitio chori; quoad fructus vero percipiendos illa parva

limitatio apponitur, sc. quae pro *solis distributionibus inter praesentes* forte proveniat ex fundatorum vel oblatorum expressa voluntate vel ex statutis ecclesiae vel ex consuetudine. Cuius limitationis ratio facile intelligitur, attenta notione quam dant canonistae de distributionibus inter praesentes. Sed clare debet constare vel expressam voluntatem benefactorum vel ius particulare referri ad distributiones inter praesentes. Nequeunt vero allegari ad hanc restrictionem urgendam statuta ecclesiae post Codicem condita, cum lex generalis, quae non vult profecto statuta forte iam exsistentia abrogare, minime permittat ut per legem particularem praedicta restrictio *de novo* creetur.

PH. AGUIRRE, S. I.

4 - S. Congregatio de Propaganda Fide

(*AAS.* XXXV [26 ian. 1943] p. 26).

DECLARATIO IURISDICTIONIS

Congregatio religiosa iuris pontificii cui nomen « Ordo Sororum a Ss.mo Salvatore et a S. Birgitta » Sacri Consilii Christiano Nomini propagando decreto, die 2 mensis Decembris anni 1942 dato, eiusdem S. Dicasterii iurisdictioni proxime subicitur.

5 - Commissio Pontificia de Re Biblica

(*AAS.* XXXV [24 aug. 1943] p. 270).

RESPONSUM

DE VERSIONIBUS SACRAE SCRIPTURAE IN LINGUAS VERNACULAS

Pontificia Commissio de Re Biblica ad solvendam quaestionem sibi propositam de usu et auctoritate versio-

num biblicarum in linguas vernaculas, praesertim ex textibus primigeniis, atque ad suum decretum *De usu versionum Sacrae Scripturae in ecclesiis* d. d. 30 aprilis 1934 magis declarandum, sequentes normas referre et commendare opportunum duxit:

Quandoquidem a Leone XIII f. r., Pontifice Maximo, in Litteris encyclicis *Providentissimus Deus* (*Acta Leonis XIII*, vol. 13, p. 342; *Enchiridion Biblicum*, n. 91) commendatum fuit, ut ad penitiorem cognitionem et declarationem uberiorem verbi divini adhibeantur primigenii Bibliorum textus; eaque commendatione, sane non in solum commodum exegetarum et theologorum facta, visum est ac videtur propemodum consultum, ut iidem quoque textus in linguas communiter notas seu vernaculas, utique sub vigili competentis auctoritatis ecclesiasticae cura, probatas scientiae sacrae adaeque profanae leges vertantur;

quoniam porro ex Vulgata editione, quam unam et solam inter latinas versiones tunc temporis circumlatas Synodus oecumenica Tridentina declaravit authenticam (Conc. Trid., sess. IV, decr. *De editione et usu Ss. Librorum; Ench. Bibl.*, n. 46), desumptae ut plurimum sunt pericopae biblicae in liturgicis Ecclesiae Latinae libris ad sacrosanctum Missae Sacrificium et ad officium divinum publice legendae;

servatis servandis:

1° Versiones Sacrae Scripturae in linguas vernaculas sive ex Vulgata sive ex textibus primigeniis factae, dummodo competentis auctoritatis ecclesiasticae licentia editae sint ad normam can. 1391, a fidelibus pro privata ipsorum pietate rite adhiberi et legi possunt; atque etiam, si qua versio, diligenti tum textus tum adnotationum examine a viris biblica et theologica scientia excellentibus peracto, magis fida et apta inventa sit, hanc Episcopi sive singuli sive in conventibus provinciae vel nationis suae congregati, fidelibus suae curae commissis peculiariter, si placuerit, commendare possunt;

2° Pericoparum biblicarum in linguam vernaculam versio quam forte sacerdotes s. Missam celebrantes, pro consuetudine vel pro opportunitate, post lectum ipsum textum liturgicum, populo praelecturi sint, iuxta responsum Commissionis Pontificiae de Re Biblica (*Acta Ap. Sedis*, 1934, p. 315), textui latino, nempe liturgico, conformis sit oportet, integra manente facultate illam ipsam versionem, si expediat, ope textus originalis vel alterius versionis magis perspicuae apte illustrandi.

Quod responsum Ss.mus D. N. Pius Pp. XII, in audientia die 22 augusti an. 1943 infrascripto Rev.mo Consultori ab Actis benigne concessa, ratum habuit et publici iuris fieri mandavit.

Romae, 22 Augusti 1943.

Iacobus M. Vosté, *Consultor ab Actis.*

ACTA SUMMATIM RELATA

6 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A — Epistula *We are unwilling,* 2 apr. 1943 ad praesidem, moderatores, doctores et alumnos Studiorum Universitatis a Nostra Domina nuncupatae in statu Indiana Americae Septentrionalis, primo saeculo ab eius ortu exeunte (*AAS* xxxv [23 dec. 1943] p. 394-398).

B — Constitutio apostolica *Ad animarum bonum,* 15 mai 1943, qua a dioecesi Clevelandensi territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur dioecesis Youngstoniensis, metropolitanae ecclesiae Cincinnatensi suffraganea (*AAS* xxxv [23 dec. 1943] p. 385-387).

C — Constitutio apostolica *Zuliensis dioeceseos,* 26 mai 1943, qua a dioecesi Zuliensi in Venezuelana republica territorii pars seiungitur, ex qua novus erigitur vicariatus apostolicus « de Machiques » (*AAS* xxxvi [23 febr. 1944] p. 41-42).

D — Constitutio apostolica *Quo sollemnior,* 5 iun. 1943, qua in cathedrali templo Plurensis dioeceseos canonicorum capitulum erigitur (*AAS* xxxvi [23 febr. 1944] p. 42-44).

E — Litterae apostolicae *Cum ex Summi Pontificis munere,* 13 iun. 1943, quibus constitutiones Congregationis Casamariensis e Sacro Ordine Cisterciensi, plenius recognitae, adprobantur (*AAS* xxxv [23 dec. 1943] p. 390-392).

F — Constitutio apostolica *Ad spirituale bonum,* 18 iun. 1943, qua a provincia ecclesiastica Sucrensi in Boliviana republica seiunguntur dioeceses Pacensis, Cochabambensis et Orurensis; quarum prima ad metropolitanae ecclesiae gradum evehitur, et nova ex illis provincia ecclesiastica Pacensis constituitur (*AAS* xxxv [23 dec. 1943] p. 388-390).

G — Littera apostolicae *Viareginae civitatis,* 15 aug. 1943, quibus Beata Maria Virgo ab Angelo Annuntiata Viareginae civitatis intra fines Lucensis archidioeceseos praecipua patrona declaratur (*AAS* xxxv [23 dec. 1943] p. 392-393).

H — Litterae apostolicae *Galliensis et Pergulanae dioecesis,* 28 aug. 1943, quibus templum Sancti Laurentii in Campo,

intra fines Pergulanae dioeceseos, privilegiis basilicae minoris honestatur (*AAS* xxxvi [14 mart. 1944] p. 67-68).

G — Litterae apostolicae *Inter gravissimas* 15 sept. 1943, quibus sancta Catharina Senensis virgo pro mulieribus in Italia infirmis administrantibus, et sancta Catharina vidua Ianuensis pro Italicis nosocomiis patronae caelestes declarantur (*AAS* xxxvi [14 mart. 1944] p. 68-69).

I — Litterae decretales *Maxima inter munera*, 19 nov. 1943, quibus beata Margarita virgo, e regia Arpadiensium hungarica familia, Ordinis S. Dominici monialis sanctorum catalogo adscribitur (*AAS* xxxvi [23 febr. 1944] p. 33-40).

K — Constitutio apostolica *A Litore Aureo*, 9 dec. 1843, qua a vicariatu apostolico a Litore Aureo in Africa Occidentali Anglica territorii pars dismembratur, ex qua nova erigitur et constituitur praefectura apostolica « Accraensis » nuncupanda, atque Societati Divini Verbi committenda (*AAS* xxxvi [14 mart. 1944] p. 65-66).

L — Sermo *Una tradizionale e cara consuetudine*, quem Ss.mus D. N. Pius Pp. XII habuit die 24 m. dec. a. 1943, in pervigilio Nativitatis D. N. Iesu Christi, adstantibus Em.mis PP. DD. Cardinalibus et Exc.mis DD. Episcopis ac Romanae Curiae Praelatis (*AAS* xxxvi]20 ian. 1944[p. 5-11).

M — Nuntius radiophonicus *Ancora una quinta volta*, a Summo Pontifice die 24 m. dec. a. 1943, in pervigilio Nativitatis D. N. Iesu Christi universo orbi datus (*AAS* xxxvi [20 ian. 1944] p. 11-24).

N — Chirographus 24 ian. 1944, de regimine Instituti caritatis religionisque operibus tutandis in Civitate Vaticana conditi (*AAS* xxxvi [23 febr. 1944] p. 45-46).

O — Allocutio 22 febr. 1944, ad parochos Urbis et concionatores sacri temporis quadragesimalis de praeceptis decalogi (*AAS* xxxvi [14 mart. 1944] p. 69-87).

7 - Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali

Notificatione diei 10 m. augusti a. 1943 omnes quorum interest certiores fiunt Ss.mum D. N. Pium Pp. XII in favorem fidelium rituum orientalium, ubique locorum atque in perpetuum, indulgentiis ditasse orationes quasdam ac pia opera, earundemque orationum atque operum catalogus exhibetur. Etsi orationes istae e libris liturgicis ritus rutheno-byzantini depromptae sunt, nihilominus indulgentiis quae illis adnectun-

tur, acquiri possunt, etiam si alio textu vel lingua legitime in ritu byzantino admissis recitantur. (*AAS* xxxvi [23 febr. 1944] p. 47-57).

8 - Sacra Congregatio Rituum

Decreto 14 ian. 1944 statuitur usum salivae in tangendis auribus et naribus infantis in administratione baptismi esse omittendum, quotiescumque rationabilis adest causa munditiei tuendae vel periculum morbi contrahendi aut propagandi (*AAS* xxxvi [20 ian. 1944] p. 28-29).

Causae beatificationis et canonisationis:

1 - *Chicagien. seu Lauden.* Decretum 20 iun. 1943, Super dubio: An et de quibus miraculis, post indultam eidem beatae ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur, canonisationis B. Franciscae Xaveriae Cabrini, virginis, fundatricis Instituti Sororum missionariarum a S. Corde Iesu (*AAS* xxxvi [20 ian. 1944] p. 26-28).

2 - *Sancti Deodati seu Nanceien.* Decretum 20 iun. 1943, Super dubio: An, stante approbatione virtutum et trium miraculorum, tuto procedi possit ad sollemnem eiusdem venerabilis servae Dei beatificationem, beatificationis et canonisationis venerabilis servae Dei Mariae Teresiae a Iesu, in saeculo Alexiae Le Clerc, fundatricis Canonissarum Regularium S. Augustini Congregationis Nostrae Dominae (*AAS* xxxvi [23 febr. 1944] p. 58-59).

3 - *Sinarum.* Decretum 20 iun. 1943, Super dubio: An, stante approbatione martyrii et causae martyrii, necnon dispensatione a signis seu miraculis, ad tramitem can. 2116, § 2, Iuris canonici tuto procedit possit ad sollemnem eorundem venerabilium servorum Dei beatificationem, beatificationis seu declarationis martyrii venerabilium servorum Dei Gregorii Grassi, episcopi Orthosiensi, vicarii apostolici de Scian-Si septentrionalis, modo de Taiyuanfu, Francisci Fogolla, episcopi Bagensis, eius coadiutoris Antonini Fantosati, episcopi Adraensis, vicarii apostolici meridionalis Hunanensis, modo de Hengchow, et sociorum in odium fidei interfectorum (*AAS* xxxv [23 dec. 1943] p. 401-403).

4 - *Florentina.* Decretum 10 dec. 1943, Super dubio: An signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonisationis servi Dei

Richardi Friedel, sacerdotis professi e Societate Iesu (*AAS* xxxvi [14 mart. 1944] p. 90-92).

9 - Provisiones ecclesiarum

Decretis S. C. Consistorialis praefecti vel constituti sunt:

2 iun. 1943, Exc. P. D. Iacobus McFadden, cathedrali ecclesiae Youngstoniensi, noviter erectae.

18 iun. 1943, Exc. P. D. Abel Isidorus Antezana y Rojas, metropolitanae ecclesiae Pacensi in Bolivia, noviter evectae.

18 dec. 1943, Exc. P. D. Bernardus Griffin, metropolitanae ecclesiae Westmonasteriensi.

22 ian. 1944, R. D. Ferdinandus Ruiz Solorzano, metropolitanae ecclesiae Yucatanensi.

22 ian. 1944, R. D. Lucius Torreblanca, cathedrali ecclesiae Chiapasensi.

22 ian. 1944, R. D. Linus Aguirre, cathedrali ecclesiae Sinaloensi.

22 ian. 1944, Exc. P. D. Gerhardus Murray coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Alaphridi Arthuri Sinnot, archiepiscopi Winnipegensis.

20 febr. 1944, R. P. Ioannes Niccolai, O. F. M., coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. Raymundi Font, episcopi Tarijensis.

26 febr. 1944, Exc. P. D. Iosephus O'Sullivan, metropolitanae ecclesiae Kingstoniensi.

3 mart. 1944, R. D. Andreas Hamvas, cathedrali ecclesiae Csanadiensi.

3 mart. 1944, R. D. Iosephus Mindszenty, cathedrali ecclesiae Veszpriniensi.

3 mart. 1944, R. D. Alexander Kovacs, cathedrali ecclesiae Sabariensi.

11 mart. 1944, R. D. Eugenius O'Doherty, cathedrali ecclesiae Dromorensi.

11 mart. 1944, R. D. Iacobus Boyle, cathedrali ecclesiae Carolinapolitanae.

Decretis S. Congregationis de Propaganda Fide praefecti vel constituti sunt:

11 nov. 1943, R. P. Marcellus Piquet, Societatis Parisiensis Missionum ad Exteras Gentes, vicarius apostolicus de Quinhon.

13 ian. 1944, R. P. Guilelmus Iosephus Ormond, cathedrali ecclesiae Christopolitanae.

13 ian. 1944, R. P. Ignatius Krause, e Congregatione Missionis, vicarius apostolicus de Shuntehfu.

10 - Nominationes

Decretis S. C. Consistorialis praefecti vel constituti sunt: sunt:

15 ian. 1944, Exc. P. D. Ioannes Aloisius Coudert, vicarius apostolicus de Whitehorse.

29 ian. 1944, R. P. Patricius Winters, e Pia Societate Missionum, praefectus apostolicus (ad beneplacitum).

11 - Necrologium

8 dec. 1943, R. D. Donatus Mackintosh, archiepiscopus Glasguensis.

10 dec. 1943, R. D. Edmundus Vansteenberghe, episcopus Baionensis.

17 dec. 1943, R. D. Maurus Caruana, archiepiscopus episcopus Melitensis.

24 dec. 1943, R. D. Iacobus McCarthy, episcopus Gallovidiensis.

29 dec. 1943, R. D. Franciscus Xaverius de Irastorza Loinaz, episcopus Orihuelensis.

8 ian. 1944, R. D. Iacinthus Tamburini, episcopus Calvensis et Theanensis.

13 ian. 1944, R. D. Iacobus Hartley, episcopus Columbensis.

9 febr. 1944, R. D. Vincentius Scozzoli, episcopus Arminensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

Ex periodicis

ARCHIVIO DI DIRITTO ECCLESIASTICO, V (1943), N. 3 (lugl.-sett.), G. CREUSEN, *Il diritto nella vita della chiesa*, p. 209-220.

THEOLOGIE UND SEELSORGE, 1943, Novemb., B. BAUER, *Die Beicht der lässlichen Sünden*, p. 73-82.

SEGRETERIA DI STATO
DI SUA SANTITÀ

Dal Vaticano, 25 Novembre 1943

N. 58050

REVERENDISSIMO PADRE,

Il secondo volume della "Opera Oratoria Postuma" di S. Roberto Bellarmino, che Vostra Paternità Reverendissima ha umiliato in omaggio a Sua Santità, ha meritato particolarmente l'augusta attenzione e compiacenza.

Il Santo Padre rivolge la Sua lode alla opportuna e felice iniziativa di pubblicare i discorsi e le prediche dell'eloquente Dottore della Chiesa, dove la elevatezza del pensiero e la schietta rettitudine della fede si associano alla soavità dello stile e all'abbondanza dell'eloquio, e augura che in breve tempo l'edizione sia completa. Ne avranno certamente utilità specialmente i sacerdoti, che attendono al ministero della divina parola.

La Santità Sua, riconoscente per il devoto invio, imparte la Benedizione Apostolica, auspicio di copiosi eletti favori, a Lei, al Molto Rev. P. Sebastiano Tromp, che con tanta diligenza cura l'edizione suaccennata.

Con sensi di religioso ossequio mi professo

della Paternità V. Rev.ma
dev.mo nel Signore
F.to L. Card. MAGLIONE

Reverendissimo Padre
P. Paolo Dezza S. I.
Rettore della Pontificia
Università Gregoriana
ROMA

"DEPOSITO LIBRI,, P. UNIVERSITATIS GREGORIANAE

S. ROBERTI C. BELLARMINI OPERA ORATORIA POSTUMA

Pro maxima parte inedita.

Adiunctis documentis variis ad gubernium animarum spectantibus introductionibus generali et particularibus, commento, notis,

ed. **Sebastianus Tromp S. I.**

Vol. I : Introductio generalis. - Sermones Dominicales Adv. et Quadrag. Romae 1599, 1600, 1601, 1606 — pp. XII-352, 1942 . . L. 30

Vol. II : Sermones habiti Romae et Capuae de Christo, B. Maria Virg., Apostolis, Sanctis — pp. 331, 1942 . . . . . L. 30

Vol. III : Sermones officiales Capuae habiti, una cum actis et documentis relativis.

Vol. IV : Sermones de Tempore in Epistolas : Capuae 1603 — pp. 256, 1943 . . . . . L. 45

Vol. V : Sermones de Tempore in Evangelia : Capuae 1604.

Vol. VI : Sermones de Oratione Montana : Capuae 1605.

Vol. VII : Explanationes in Epistolas Missae, spec. Paulinas: Romae c. 1615,

Vol. VIII : Instructiones ad familiam cardinalitiam, moniales, diversos.

Vol. IX : Exhortationes domesticae.

Singula vol. 350-400 pp., In 8°

In lucem prodiere vol. I, II et IV.